EPISTOLAE PALAEO

NAEOI DESIDERII ERASMI ROTERODAMI.

ERASMVS ROTERODAMVS CLARISS. DOCTORI BONIFACIO AMERBACHIO, S. D.

NAe tu μάλα ὑπερβολικῶς καὶ ὑπερμέτρως candidus ac modestus es Amerbachi chariſſime, qui quum omnia læta, magis cupias eſſe amicorum quàm tua, tamen ſi quid accidit acerbius, miro ſtudio celas amicos, quũ recte dictum ſit & illud κοινὰ τῶν φίλων ἄχη. Solus dolere uis, ſi quid uulneris tibi fortuna inflixit: at ſi quid nobis obtigit triſtius, non ſat habes in mœroris uenire ſocietatem, grauius commoueris, & ſi proprie eſſet tuum infortunium. Deceſſit tibi filiola, & quod nobis multo eſt acerbius, illi tu μόνον οὐχὶ συναπέθανες ὦ βέλτιστε, nec alia morbi cauſa & dolor. Tantum malum mihi ſero ſcire licuit, nec id ſanè per te, ſed per medicum tuũ huc forte fortuna profectum. Itaq; nos penè tecum perieramus imprudentes. Noui mi Bonifaci, quàm ſis φιλόσοργος, et priuatim erga tibi ſanguine aut affinitate iunctos, & publice erga patriam, eoq; facile diuino & acerbe diſcruciet animum tuum infantulæ deſiderium: quam ſic adamabas, ſic in ſinu geſtabas, ſic in delitijs habebas, quippe coniugij primitias, quæq; tibi prima dulciſſimum patris nomen dedit, effecitq; ne te peniteret, ſemper tibi gratiſſimam τῆς ἀγαμίας libertatem cum matrimonij compedibus permutaſſe, à quibus initio ſic abhorrere uidebat animus, ut ad uxorẽ ægre quiueris ppelli, idq; duabus ualidiſſimis machinis, heredis amore, & amicorum hortatu. Nam apud iſtã mentem ſanctiſſimam, τῆς ἡδονῆς ὡσπερ μεταρσίων φασίν, ἄδειος λόγος. Itaq; quum mihi genius tuus ſatis eſſet perſpectus, facile expectabam grauem aliquam συμπάθειαν, ἀλλὰ τὸ συννοσεῖν καὶ συναποθνήσκειν ne metuerem, fecit cęteris in rebus mihi perſpecta haud uulgaris tui pectoris conſtantia. Verum æquum erat, ut homo iuris prudentia clarus, qui ſumma cũ laude publicitus doces alios Cæſarũ parere legibus, ipſe æquiore animo pareres naturæ legibus, quæ ducunt uolentem, nolentem trahunt. Quantũuis autem tibi dolor tuus damnum iſtuc exaggeret, inficiari certe non potes eſſe reparabile, modo tu cum uxore ſis incolumis, quum utriq; ſit ætas non integra modo, uerum etiam florens καὶ ἀκμάζουσα. Quid ſi tibi obtigiſſet ſterile coniugium, quod quoniam accidit compluribus, non oportuit tibi uiro prudenti eſſe impręmeditatũ. Quiſquis enim vxorem ducit, ad humanos communes q; caſus animũ præparatum habeat neceſſe eſt, coniugis ἀγονίαν, orbitatem, ſolitudinem. At tu nondũ orbus es, altera ſuperſtite filia. τί δὲ δεινὸν ἔπαθες; Quid aliud & candidiſſimam ſtellam uirginũ cœleſtium choris addidiſti? Illa gaudet, exultat ac tripudiat, quòd in æterna gaudia recepta eſt, priusq; huius infeliciſſimæ uitæ malis contaminaretur, & tu inconſolabiliter ploras, imò non ploras, ſed commoreris. Surculus modo, uel floſculus magis, ab arbore decerptus eſt, incolumi ſtirpe, illæſa radice. Quid ſi deus iſta iactura tentare uoluit animũ tuum, & ab ipſo pendeas? Quid ſi tibi pro erepta filiola reddat filium, non ſolum facultatum, ſed iſtius etiam exactæ eruditionis, cũ omni genere uirtutum coniunctę heredẽ? Nam iſtis opibus longe beatior es mi Bonifaci, & agris aut nũmis, quanq; & hæc fortunæ cõmoda tibi ſuppetunt à maioribus relicta οὐ μόνον πρὸς τὴν αὐτάρκειαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν λαμπρότητα. Inter externa bona minus obnoxia ſunt

fortunæ ludibrio, quæ à uobis dicuntur, res soli. At si res soli est quod immobile est, in sola animi bona conuenit istius cognominis honor. Domos præter bellorũ imma nitatem aufert incendiũ, agros alluit mare, uix etiam parcens saxeis montibus, In uanam uirtutem fortuna nullum habet ius. Proinde si istud domini fidem tuam explorantis uulnusculum patienti feras animo, confido futurum, ut ille qua est benignitate infantulæ iacturam penset scito puero, qui possit istius opulentiæ tuæ longe Crœseas opes superantis successionem in solidum capessere, qui te nobis congemi net, qui te nec senescere sinat, nec intermori. Hac spe fulciendus erat animus, uir erudi tissime, nec oportuit oculos semper habere fixos ad id quod ereptum est, si tamen hoc est eripi, in cœlum præmitti, sed reputandũ erat q̃ multi adhuc in te liberi essent reconditi. Iam mihi finge non obtigisse liberos, an deum uocabimus in ius, quia nõ dedit, quod auspicanti matrimoniũ non est pollicitus. Pone contigisse πολλοὺς ἄγαθοὺς τε, sed mox ereptos, qd habituri sumus iustę querelæ aduersus deũ? Quod dedit, gratuitũ est, quod quũ uoluit datum repoposcit suo iure fecit: neq; em̃ id perpetuũ esse uoluit, sed commodatitiũ. Apud Anglos noui Ioannis Coleti matrem raræ pietatis matronã: ex eodem marito suscepit filios undecim, filias totidem, Totus ille chorus ereptus est, uno excepto Coleto, qui fuerat natu maximus. Ademptus est et maritus senex anui: Iam accedebat ad annũ nonagesimũ, facie tam integra, moribus tã alacribus, ut diceres illam nec luxisse unq̃, nec peperisse. Deniq; ni fallor, & Coleto superuixit. Tantũ animi robur fœminæ præstitit, nõ eruditio, sed pietas erga deũ. Et tu uir ista doctrina, ista prudentia, ista cæteris in rebus animi præsentia, infantulę cõmoreris? Quũ hac lege nascamur oẽs, quũ isti casus quocunq; te uertas, nusq̃ nõ occurrant oculis, cuius obsecro prudentiæ est, si qd humanitus accidit, uelut adpinatã ac prodigiosam exanimari? Alijs in rebus turpe uisum est priscis, dicere, οὐκ ὠμικρὸν, hic extremæ uecordiæ sit dicere, nõ putaram. Quid em̃ is aliud dicat, q̃ non putaram me esse hominẽ? Scio dices me ferũ esse consolatorẽ, imo pro consolatore obiurgatorem agere. Alter; mi Bonifaci tibi ipse imputes oportet, q me domesticam calamitatẽ tuam scire nolueris: alter; fortassis eo profecerit, ut in poster; aduersus humanos casus sis instructior. Mirat ille Terentianus Mitio, quenq̃ posse instituere in animũ quod sit charius q̃ ipse sit sibi. Et est quidẽ φιλοσοφία humani mansueti q; animi indiciũ. Sed arbitror ne Mitionẽ quidem, si quis casus eripuisset Aeschinũ, prę luctu in morbũ fuisse collapsur;: Nunc tu de tuo ipsius periculo securus, et in tuo malo fortis, alieno morbo deijceris, ac uereor ne & immoriaris. Quid tandẽ obsecro profecturus? An illa lacrymis in uitã reuocari poterit? Si deus te ipsum à te reposcat, aut nõ satis noui te, aut equo aio sis obtemperaturus. Repoposcit infantulam, & dolore cõtabescis? nec cogitas quot orbos unius interitu facturus sis, si qđ abominamur acciderit, uxorem, filiã, fratrem, sororẽ, socer;, nos amicos tibi prorsus ὁμοψύχους ac tecũ piclitantes. Deniq; q̃ amabili thesauro patriã tuã sis spoliaturus, cui nõ minori præsidio es q̃ ornamento, cui q; merito es πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Si tibi salus tua est uilis, certe hor; respectus te mouere debet, ut incolumitatis tuæ rationẽ habeas. Nullus tibi melior uel cõsolator uel admonitor fuerit, q̃ tu, modo te ipsum tibi adhibueris, eadem q; tibi dicas, quę dictur⁹ sis alteri in casu simili. Adhibeas aũt non ἐκεῖνον τὸν λίαν φιλόσοφον, sed philosophũ illum erectũ ac μεγαλόψυχον, quẽ hactenus in te sum admiratus. Recte p̃ceptũ est à priscis sapientib. in rebus humanis nihil esse mirandũ, hoc est, nihil nimis amandũ, ne si eripiat̃, dolor succedat immodicus. Terret me germani tui Brunonis exemplũ, qui desiderio coniugis amissę pijt. Quantũ aũt bonor; in illo uiro p̃didimus? Quid q; deus interdũ ob hoc ipsum eripit nobis qđ habemus, quia præter modum amamus, nobis q; fingimus esse proprium ac perpetuũ quod erat cõmodaticiũ, atq; id quoq; ad diem incertũ, ut liber; sit cõmodatori mox repetere qđ dedit. Dicas in rebus humanis & hic esse Nemesin quandã. De aduersa ualetudine tua sero

tua fero' sum factus certior, conualuisse nondum audiui, quę res me magnopere solicitum habet, nec eam solicitudinem ex animo potero extundere, nisi tuis literis autographis iubeas me tranquillo esse animo. Post triduũ mittam isthuc unum è proprijs famulis dies aliquot apud uos cõmoraturum, per quem poteris tuo commodo quæ uoles scribere. Nuper misi literas Iacobi Sadoleti, quas communi cum meis tunica obuolutas accepi. Nunc mitto tres fasciculos epistolarum ex Italia, ni fallor, datos. Ad me peruenerunt ex Augusta Vindelicorum. Basilio, uxori, cæteris'que tibi charissimis salutem plurimam. Bene uale ὦ φιλτάτη μοι κεφαλή. Friburgi Brisgoiæ prid. nonas Iulij Anno M. D. XXXII.

ERASMVS ROTEROD. ORNATISS. D. IODOCO SASBOVTO SENATORI HAGENSI S.

Dictum est olim, eum oportere egregiè probum esse, qui Athenis esset probus. Nunc non absurde quis dixerit, eum oportere syncerum esse amicũ, qui hoc seculo sit amicus Erasmo, quo sycophantijs, conuicijs ac mendacijs undiq; feruẽt flagrant'q; omnia, & in quo nec inimicos attingere tutum est, nec amicos prodere. Experior tamen in hoc rerum tumultu non paucos esse qui mihi ex animo bene uolũt. Hos eo' mihi chariores habeo, quod rari sunt, Sed paucos eximios malo, q; turbam inexploratorũ ac uulgarium. Complures anni sunt, quod ex amicis minime leuibus cognoui te de nostris studijs & sentire candide, & honorifice prædicare. Eum affectũ nondum in te refrixisse ex Quirini Talesij pridem amanuẽsis mei literis cognoui nuper. Quo nomine Sasboute charissime, profiteor me tibi debere plurimum, & debere libenter, atq; utinam tam mihi esset in procliui tecum mutuis officijs paria facere, q; in promptu est amore mutuo respondere. Hollandiam patriam tot bellis lacessi, tot exactionibus expilari, tot incursionibus uexari, diripi'q; ab amicis pariter atq; ab inimicis, mihi ut esse debet, auditu grauissimum est. Maximam horum malorũ partem gignit nobis τῶν ἀρχόντων φιλοτιμία, qua nihil exitialius, si absit illa uere βασιλικὴ sapientia. Auidi negociatores dum nouis latifundijs inhiant, auitos agros aut habent pro derelictis, aut in sortem uersos committũt aleæ. At olim abunde magnificum erat esse comitem Hollandię, sed hi sunt ęstus rerum humanarum perpetui, nisi quod uix unq; immanior procella terrarum orbem occupauit. Verũ ut in magnis tempestatibus apparet, qui sint periti gubernatores, ita mihi uidetur insignis cuiusdam esse tum integritatis tum prudentiæ, in tanta rerum omniũ confusione, tantis q; procellis rectum tenere clauũ. Quod an nos assequuti simus nescio, certe conati sumus & conamur sedulo. Expectamus quid nobis hęc pariat Synodus Ratisbonensis. Mihi quidẽ bona spes est, sed paulo melior esset læti spes euentus, nisi Cæsaris pietas tantũ tribueret quibusdam infulatis, quibus equidem uelim suam uindicari autoritatẽ, sed quorundã ambitioni nihil est satis. Regina Maria, fœminarũ huius æui laudatissima, reuocat me in Brabantiam, sed post hac mihi uiuam oportet, si cupiam omnino uiuere. Studijs immori libet, aulicis negocijs immori non libet. Scripturus eram clariss. uiris D. Abeli à Colster, & D. Gerardo ab Ascendelft, sed hic Gerardus Henricus medicus ex Italia reuersus offendit me & studijs & scribendis epistolis delassatum, nec uisum est illum diutius remorari, post diutinam peregrinationem ad patriæ fumum properantem. Quare te rogo ut apud illos præclaros uiros mihi sis epistolarum uice, donec dabitur ocij pauxillũ. Nolim enim illos literis incultis ac languidis appellare. Interim persuade illis has literas & ad ipsos esse scriptas. Bene uale. Apud Friburgum Brisgoiæ tertio die Maij. Anno à Christo nato M. D. XXXII.

ERASMVS ROTEROD. GEORGIO AGRICOLAE S.

BEne profecto ceſſit illa mea cum Plateano expoſtulatiuncula, quæ mihi duorũ iuſtas epiſtolas conciliauit, tametſi tuam tu quidẽ mauis chirographum haberi q̃ epiſtolã. Atqui id ſane mihi multo iucundius eſt, ut Agricolam hominẽ egregie doctũ, & niſi me fallũt omnia, breui inter literariæ rei proceres præcipuo loco futurũ, uelut obſignatis tabulis docere poſſim, mihi gratiarum legibus eſſe fœderatum. Studium meũ in ædendo libello, uel obſequiũ potuis, nam Andreæ Conritz impulſu id factũ eſt, tibi non ingratũ fuiſſe, mihi magno pere gratũ eſt. De Cornelio Agrippa quidam amici docti ad me ſcripſerunt è Brabantia, ſed ſic ut nec hominis uiolentiã probare, & plus illi in colligendo ſtudij, q̃ in deligendo iudicij tribuere uideantur. Nonnullis illud non ingratum eſt, quod theologis ac monachis hactenus feliciter oppedit, id q̃ Cæſaris umbra cui ſe profitetur à conſilijs, & cardinalis Campegij præſidio. Sed uereor ne hominis fortitudo bonas literas magna grauet inuidia, ſi modo uera ſunt, quæ narrant amicorũ literæ. Librum illius nondum uidere contigit, nec ad me ſcripſit unquam. Opus quod de menſuris ac põderibus habes in manibus, cupidiſſime legam ſimul atq̃ miſeris. Id auguror mi Georgi, tibi magnæ gloriæ futurũ. Nec eſt quod inuidiã metuas, quũ argumentum ſit eius generis, partim ob uetuſtatem, partim ob regionũ uarias conſuetudines, partim ob ipſius materiæ ſubtilem obſcuritatẽ, ne quid interim dicam de libris depraua tis, ut nunc̃q̃ ſit exhauſti ſatis. Portium audio uirũ non minus humanũ eſſe q̃ doctũ. Alciatus ingenio cãdidiſſimo præditus eſt, ut ab illo tibi nihil ſit metuendũ. Budæus ut eſt ſtomachi liberioris, ita uir melior eſt, q̃ ut indigneẽ, tantũ argumentis agenti. Quod etiã ſi maxime faciat, quod opinor nunc̃q̃ facturũ, ſuo nomini magis obfuerit q̃ tuo. Denic̃q̃ ut maxime naſcaẽ inter uos aliquid contentionis, modo citra petulantiam, cõſolabitur te illud Heſiodiũ: ἀταθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι περὶ τῆς ψευδολογίας, non eſt quod mihi gratuleris, quũ eius conſilij me ſupra modũ pœnituerit. Poteram lõge aliã Iliadem texere, ſed ualeat illud portentũ, è meris fumis, fucis, mendacijs, glorijs, ac præſtigijs conflatũ. Tuæ literæ nunc̃q̃ nõ uenient mihi gratiſſimæ. Lucæ Schoppegio conſuli, & Barptolemæo Baccho ſcribæ ſenatus uiciſſim ex me plurimã dices ſalutem. Vale. Apud Friburgũ Briſgoiæ iiij. Cal. Septemb. M. D. XXXI.

ERAS. ROT. REGINALDO POLO ANGLO S.

REuerſus ex Anglia Simon Grynæus nõnihil expoſtulauit mecũ q̃d cæteris amicis quũ ſcriberem, te præterierim, cui merito debeẽ inter præcipuos locus præcipuus. Verũ id ornatiſſime Pole, nec obliuione tui, nec mea deſidia factũ eſt. Suſpicabar te ad Muſas tuas à quibus audierã te oppido q̃ inuitũ diſtrahi quum Patauio diſcederes, iamdudũ reuolaſſe. Chryſoſtomus tuus in tuto eſt, mittam q̃ hiſce nundinis, ſi ſciam cui iubeas tradi. Nã codex totus iampridẽ ab amanuenſi meo deſcriptus eſt. Bienniũ eſt q̃d totus Chryſoſtomus Græcus promittitur nobis è Verona, id q̃ autore Matthæo Gilberto quondã pontificis datario, nũc epiſcopo Veronẽſi, ſed nihil adhuc prodire uideo. Hieron. Frobenius meo ſuaſu excudet totũ Baſilium Græcũ, qui mihi inter eius ætatis ſcriptores unice placet. Nã Chryſoſtomus habet neſcio quid, ſubmoleſte πολυμυθίας, Gregorius Nazianzenus non nihil affectæ argutiæ, atq̃ id magna ex parte ſitũ in uerbis, in Baſilio nihil eſt q̃d offendit. Opinor Leonicũ uirum optimũ iam reliquiſſe terras. Nã ante menſes fermè quatuor, quidã Patauio rediens, nunciabat illũ id tẽporis decubuiſſe, deſperãtibus medicis. Precor ut per domini miſericordiã bene ſit illius manibus. Accipio & Lupſetũ noſtrũ in meliorẽ uitã demigraſſe. Mihi ſummæ uoluptati fuit, q̃d ex Grynæo cognoui te iſtic & recte ualere, & in ea eſſe dignitate, quã præter imaginũ claritatẽ, & probitas iſta mereẽ, & eruditio. Futurũ tamẽ eſt multo gratiſſimũ, ſi ex tuis literis

plenius

plenius de statu rerum tuarum cognouero. Bene uale. Friburgi Brisgoiæ postri die Barptolemæi M. D. XXXI.

ERAS. ROT. GASPARI VRSINO VELIO S.

DE phrasi doctiss. Veli, nunc̃ fui magnopere solicitus, nec inuideo Budaicis hic primas tenentibus ut scribis. Sum em̃ in hoc nõ dissimilis Ouidio, cui quæuis puellarũ species aliquo lenocinio placuit. Vbicunc̃ sanitas est ingenij, sensus arguti, cogitationes recõditæ, mihi abũde satisfacit dictio. In hoc sapuit Budæus, qd' nec̃ quaslibet edit epistolas, nec ad quoslibet. Ego dũ uel amicis obsequor, uel typographis urgẽtibus obsequũdo, sæpenumero parũ cõsulo famæ. Quanc̃ ut nunc̃ huius laudis fui anxie ambitiosus, ita nunc sic ubic̃ regnãtibus bonis literis, æquissimo animo fero me iã plusc̃ sexagenariũ de pontibus deijci. Ac eandẽ propè uoluptatẽ animo persentio, quã Lacon ille, qui quũ ambiret in trecentũ uirũ numerũ allegi, repulsus abijt alacer ac ridens. Rogatus qd gestiret: Quid ni gaudeã inquit, in hac ciuitate trecentos inueniri me meliores. Quod ad instauranda genus humanũ, tot cladibus afflictũ, strenuã nauas operã, laudo pietatem: quod succedit, gratulor felicitatẽ. De principe tuo & recte & sapiẽter iudicas, sed spero aliquando fortunã illius animo responsurã. Cæsar nihil adhuc aliud c̃ colligit, quãdo sparsurus nescio. Sunt qui dicant hoc esse fatale imperiali coronæ, semper egere uacuum'c̃ esse Danaidũ doliũ, quantũuis infundas. De Tureis rumor hic parũ lætus uolitat, fertur alter de rursus indicenda Synodo rumor. Quid cogitet Cæsar nusc̃ minus scitur, c̃ illic ubi uiuit. Scio quid prouerbia dicãt de cõcilijs Germaniæ, quid sit euenturũ nescio. Ne nihil nouæ rei pures esse: Mercatus sum ædes honesti nominis, sed iniqui pretij. Exhausimus quicquid erat præsentis pecuniæ, & adhuc ædificamus. Tantũ sensi tædiorũ in licitando, cõtrahendo, stipulando, emigrando, immigrando, rixando cũ fabris & furibus, ut malim decenniũ in libris uersari, c̃ unicum mensem hæc deuorare catapotia. Corpusculũ hic habitat, animus alibi. Iam illud etiã periculũ est, ne ex ædibus bene adornatis nos exigat pestilẽtia, quæ iam mature scintillat hic odiose. De Cluuiacensi præsule, faciã quod iam toties hortaris, simulatc̃ dabitur opportunitas. Hæc ad epistolam tuam Viennæ scriptam xxvi. die lunij. Vale. Friburgi vij. die Augusti M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. IOANNI PAVNTGARTNERO S.

ANte annos fermè duos, Vlrichus Zasius uir plurimis maximis'c̃ dotibus suspiciendus, sed haud alia tamẽ amabilior, c̃ admirabili quodã animi candore erga amicos, præbuit mihi gustũ uini Pauntgartnerici, qd' sanè palato q̃is exquisito placere poterat. At idem ingenij Pauntgartnerici gustum nuper aliquãto pleniorẽ dedit, mihi quidẽ longe suauiorẽ. Nam ea suis ad me literis de te prædicauit uir clarissime, ut nõ solum me totũ rapuerit in amorẽ tui, uerumetiam effecerit, ut existimẽ me tibi nõ mediocriter deuinctũ, ipsi deuinctiorem, quũ antehac fuerim deuinctissimus. Quis enim nõ amet uirũ reip. cõmodis natum, & in quo cũ amplissima fortuna præclaræ uirtutes animi paria faciãt? Imo nõ paria faciant, sed longe superent. Zasium aũt promerentẽ sic multis annis amaui, ut prorsus iuxta legem Pythagoricã omnia mihi cũ illo duxerim cõmunia. In quem quum tam effusa fuerit tua benignitas, scio Erasmũ totidem nominibus obstrictũ esse tibi quot Zasium habes obstrictũ. Quod si hac lege me recipis in numerũ debitorũ tuorum, eadem lege me recipias oportet in numerum amicorũ. Etenim si hoc est amicitiæ ius ut res cæteras faciat inter amicos communes, multo magis conuenit, ut ipsi quoc̃ amici sint communes, quum hac possessione nulla sit preciosior. Porrò Zasius plurima sua in me merita non mediocri auctario cumulauit, posteaquam in huius amicitiæ consortium adoptauit ueterem amiculum. Sed hæc aliãs copiosius.

Hęcuix ſcribere licuit diutina tuſſi concuſſo, quod malum hic plurimos occupauit. Bene uale. Apud Friburgum Briſgoiæ octauo die Februarij M.D.XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS R. D. BERNARDO CARD. ET EPISCOPO TRIDENTINO S.

QVi ſe profitentur ſpirituũ callẽre naturas, hoc nobis affirmare ſolent, bonos adferre hilaritatem, malos terrorem ac tædium. Hi ſi uera prædicant, oportet in te ac rege Ferdinando genium quempiã eſſe mihi felicem atq; amicum. Nulla enim uel ab illius maieſtate uel à celſitudine tua uenit epiſtola, quæ non egregium aliquod ſolatium adferat animo meo, etiam ſi parum lætum ſit argumentum. At eſt diuerſum hominum genus, qui nullam ſcribũt epiſtolam tam amicam aut blandam, quin aliquid habeat admixtum amari ueneni. Quanta cum uoluptate legi, quod epiſtola proxima ſcribis ſereniſſimum Romanorum regem Ferdinandum multis audientibus tam honorifica mentione meũ ornaſſe nomen, ut mihi apud illum nullius omnino commendatione ſit opus. Quid faceret princeps humaniſſimus, ſi quo obſequio maieſtatem illius demeruiſſem? Mihi hęc ætas iam grauis, ſed aliquanto grauior ualetudo, non alio nomine moleſtior eſt, q̃ quod per eas non licet, tam pio, tam candido, tam amico principi inſeruire. Nam quũ Gręcorum adagijs probentur facta iuuenilis ætatis, conſilia mediæ, uota extremæ, ad hanc lineam mihi deuentũ eſt, ut optimo principi nihil aliud q̃; optima precari ualeam, id quod facio ſedulo. Iam ſemel atq; iterum in literis admonet tua pietas, ut aliquid nominatim petam ab amiciſſimo rege, te curaturũ ut optatis potiar. Vtinam iſtuc ad me perſcripſiſſet ſummus ille monarcha Chriſtus, permulta forent quæ ab eo peterem, ſed nihil prius q̃; mentẽ ipſo dignam. A' rege Ferdinando uix uideo quid petam, præter ea quæ ultro præſtat illius eximia bonitas. Exceptis ſtudijs quibus immori libet, ad omnem uitæ functionem ſum inutilis. Dignitas nihil aliud iam eſſet mihi q̃; farcina equo collabenti, opes cõgererere iam decurſo uitæ ſpatio, nihilo minus abſurdum ſit, q̃; ſi quis confecto itinere augeat uiaticum. Paruo alitur frugalitas, quę mihi ſemper grata fuit, nunc etiam eſt neceſſaria. Optarim tamen tranquillam ſenectutem, ſi negata eſt hilaris ac florida, quã multis uideo contingere. Seniũ depellere, ualetudinem corrigere, nec ſummus pontifex, nec principum maximus Cęſar poteſt, quum habeam utrumq; mihi beneuolentem, utinam ſaltem oblatrantium ora poſſent obturare. Ne id quidem illis in manu eſt. Præter eos autem qui palàm undiq; obſtrepunt, non deſunt qui maleficis artibus ac per cuniculos moliantur exitium. Scio ueriſſimum eſſe quod ad conſolandum me commemorat tua pietas: Semper uirtute partam gloriam fuiſſe obnoxiam inuidiæ, nec hoc modo ſeculum genuiſſe ac pertuliſſe ſimiles improborum tumultus. Memini q̃; improbe ſit oblatratũ Hieronymo, ſed illius eximia uirtus aut obruebat inuidiam, aut certe penſatione reddebat toleratu facilem. Ego quid ſum ad tales collatus uiros? Si doctrinam ac pietatem expendas, indignus ſum qui illis calceos extergam: ſi inuidiæ magnitudinẽ, totis paraſangis illos præcurro. Attamen ingenue fateor me hoc principum clementiæ debere, quod hactenus aduerſus tot excetras ſubſiſto. A' rege Ferdinando nihil eſt quod in præſentia petam, niſi ut ſi quid per æmulos meos extiterit tragœdiæ, ſui ſimilis eſſe pergat, id quod & pro regalis ingenij benignitate iamdudũ ſponte facit, & tua commendatione, uel admonitione uerius, poſthac cumulatius facturum confido. Promerebatur illud ſanctiſſimi regis pietas, ut florẽtibus tranquillis'q; rebus perpetuo frueretur. Sed quando bellum cõmeruere ſcelera noſtra, precor ut auſpice deo feliciter tum illi tũ nobis omnibus cadat Martis alea. Henricus Glareanus ſtudiorum ſuorum ſpecimen mittit inclyto Romanor̃ regi Ferdinando, nihil quidem ab illo

uenans muneris prꝫter fauorem optimi principis, quem iam pridem expertus est sibi fuisse bono, ut hoc officio non tam captet gratiam ꝙ referat. Est uir ut si quis alius integris & inculpatis moribus, doctrina uaria, recondita & exacta, multum dissimilis quibusdam, qui quum decem uersiculos possunt scribere, pro consummatis uiris haberi uolunt. Hic philosophiam cum poëtica, historicam cognitionem cum mathematicis disciplinis coninuxit. Profitetur hic publice, ordinario salario, nihilo secius priuatim instituit aliquot generosos adolescentulos, ut illius domus re uera sit optimarum artium officina, ipse non minimum huius academiæ ornamentum. Quid multis? Dignus est, qui tuæ celsitudinis commendatione regi fiat & notior & charior. Excitabitur ad alacrius prouehẽda studia, si senserit hoc officiũ regiæ maiestati fuisse non ingratũ. Vale, die Pentecostes Anno M.D.XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS IOANNI BONERO S.

QVod Stanislai literæ sine tuis ad me perlatæ sunt, quo casu factum sit nescio, tua certe negligentia factũ non arbitror. Hanc enim de te persuasionem indui, Bonerum Stanislao, nec amore in me mutuo, nec studiorum alacritate ullo unqꝫ tempore cessurũ, imo potius annixurũ ut utraqꝫ in re licet gnauiter currentem à tergo relinquas. Decet enim, ut qui maiorũ imaginibus, opibus, reliquis qꝫ fortunæ cõmodis antecedis, multo magis ueris illis bonis in quæ fortunę nulla est manuum iniectio, superior euadas. Tibi prælucet generis claritas, fortunæ splendor, ut iam cessationi nullus sit locus, quam ipse etiam tibi iamdudum præclusisti, ut qui ætate tam tenera, adeo feliciter progressus sis in musarum uirecta. Turpissimum enim fuerit mi Bonere, si quũ tibi deus ac parentes optimi, ad summã eruditionem, egregiam qꝫ uirtutem omnia affatim suppeditarint, ingenium docile, indolem felicissimã, pecuniarũ uim, qui non minus studiorũ nerui sunt, qꝫ belli, denicꝫ præceptorem, quo doctiorem, uigilantiorẽ, atqꝫ etiã amantiorẽ, ne optare quidem possis, tute solus tibi defuisse uidearis. Quũ itaqꝫ tantam multis nominibus sustineas expectationẽ, non cõmittes ut eam fallas. Quod si nunc studia nõnihil aloës habere uidentur, cogita quantũ uoluptatis, quantũ gloriæ hinc tibi sit prouenturũ, quũ uelut auidus negociator, lustratis utriusqꝫ Germanię, Italiæ, Gallię qꝫ emporijs tot eruditorꝫ hoim cõtubernio usus, redibis in tuã Poloniam omniũ disciplinarũ ac virtutũ mercibus egregie locupletatus. Vale. Friburgi Natali D. Matthęi. M. D. XXXI.

ERASMVS ROTEROD. GERMANO BRIXIO S.

DEcreuisti ut uideo Canossæ nomen immortalitati cõsecrare. Ante cõplures annos noui hominẽ in Anglia, sed ignotũ notus. Rumor erat tum illuc ueniisse legatũ Pontificium Cardinalem, sed cultu prophano. Inuitarat me Andreas Ammonius ad prandiũ, ueni nihil suspicans insidiarũ. Amabam enim hominem familiariter. Apud eum reperi quendã uestę oblonga, sed capillis in reticulũ collectis, unico tantum famulo. Multa fabulatus sum cũ Andrea, nihil omnino suspicans de Canossa. Admirabar tamẽ hominis militarẽ ferociam, itaqꝫ græce percontatus sum Andreã, τίς ἐσίμ ὁυτοσί; Is respondit, ἔμπορος μέγας. Atqꝫ ego cõtra, ὁυτωσὶ πάνυ δοκεῖ, & persuasus esse negociatorẽ plane neglexi hominẽ. Accubitũ est. Canossa prędedit, ego proximus. Toto cõuiuio cũ Andrea familiariter ex more fabulas miscui, nõ dissimulãs negociatoris contemptũ. Tandẽ pcontatus sum Andreã nũ uerus esset rumor ueniisse legatũ qui iussu Leonis. x. dissidiũ inter Galliarũ & Angliæ reges cõponeret, annuebat. Summus inquã Pontifex nõ eget meis consilijs, si tamen hic me adhibuisset, aliud suasissem. Quid inquit Ammonius? Non expediebat inquã fieri mentionẽ pacis. Quãobrem? Quoniã pax inquam subito coire nõ potest. Atqꝫ interea dũ monarchæ tractant de conditionibus, milites ad odorem pacis peiora moliuntur ꝙ in bello. Per inducias aũt subito cohibentẽ militũ manus.

Indutias

Inducias autem prescriberem trium annorum, quo liceret cõmode de duraturi fœderis legibus dispicere. Approbauit Andreas, et hoc inquit opinor, agit hic legatus. His ita dissertis redij ad id ad quod Ammonius non responderat liquido. Est'ne inquam Cardinalis? Vnde inquit tibi isthuc in mentem uenit? Quoniã inquam hoc narrant Itali. Et illi inquit, unde norunt? Hic inquam te noui, si post annos aliquot te uiderem in Brabantia, quereres unde te agnoscerem? Subriserunt inter sese, me ne tantulum quidem etiam suspicante. Mox urgebam, num re uera esset Card. Ter giuersatus est Ammonius, tandem, est inquit, animo Cardinalitio. Hic ego suauiter arridens, isthuc aliquid est inquam, gerere animum Cardinalitiũ. Hæc aliaq; multa Canossã audiuit tacitus. Tandem dixit nescio quid Italice. Mox admiscuit uoces latinas, sed sic ut posses negociatorem ingeniosum agnoscere. Quum nihil respondarem, ad me uersus dixit: Demiror te in hac barbara natiõe uelle uiuere, nisi forte hic mauis esse solus, q̃ Romę primus. Hanc argutiã demiratus in negociatore, respondi me uiuere in ea regione quæ plurimos haberet insigniter doctos, inter quos mihi satis esset ultimum tenere locum, quũ Romæ nullo in numero futurus essem. Hæc alia q̃ dixi, nõ nihil iratus negociatori. Puto mihi tunc genium aliquem bonum adfuisse, alioqui in summũ discrimen me pertraxerat Ammonius, qui non ignorabat, quãta libertate soleam apud amicos effutire, quicquid in buccam uenerit. Surrexi mus. Andreas & ego diutius ambulauimus in horto, qui ædes dirimit, ac post diuti nam cõfabulationem officij causa produxit ad ostium terrestre, nam ea pars domus in qua pransi fueramus, spectat flumen Thamisin, malebam enim redire pedibus q̃ cymba. Post aliquot dies quũ rediissemus in colloquium, aperit Andreas fabulę scenam, ac mecũ sedulo agit, ut Canossam comiter in Italiam, plurima testificans q̃ ille de me magnifice tum loqueretur, tum sentiret. Sed surdo canebat fabulam. Atinterim parum amice factũ est ab Ammonio qui non ignorabat linguæ meæ παρ' ἐκσίαμ. Poteram aliquid uel in Pontificem, uel in legatũ effutire, q̃d mihi post fraudi fuisset. Si nunc Canossa parum bene est in Erasmum animatus, nihil est nouæ rei: solet spretus amor in iram uerti. Et uideo quosdam esse, qui similem pestem conãtur injicere studijs, qualem iniecerunt religioni. Apud Italos feruet Ciceronianorũ factio, quũ nulli sint minus, q̃ qui uociferantur maxime. De fortuna tua nõ ignorabam, de animo tuo credo tibi, & gratulor. Sed arbitror dignitatem uel non ascitam accessuram. In Chrysostomo malueram te minus esse Callipidem, id enim fit luculenta fraude typographi. Bene uale, Friburgi Brisgoiæ Anno M. D. XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS ORNATISS. IVVENI BERTHRAMO DAMO S.

NOndum statui Berthrame charissime, utri potius succensere debeam, istine tuo pudori immodico, per quem factum est ut minus prę te ferres quaelis & quãtus esses, an meæ incogitantiæ, qui distractus alijs curis, sero senserim quãtus mihi esset oblatus thesaurus. Tandem in carmine tuo totum Berthramum uelut in speculo contemplatus sum magna sanè cum animi mei uoluptate. Est enim sobrium ac sanum, amabilem quandam præ se ferens modestiam, in eruditis raram, in nobilibus rariorem. Vnum uereor ne illic non sine meo dedecore legatur, in cœlum ferri humanitatem meam, quod talem hominem tantũ itineris mea causa emensum admiserim ad qualecunq; colloquium, qui τὸν κύκλωπα tot dies mensa exceperim. Deum immortalem, quantus hic mihi perijt fructus, uel tua uerecundia, uel mea socordia. Quod si in rem tuam foret hic commorari, scito & domum hanc, & domus dominum esse pleno iure tuum. Sin alio te uocant rerum tuarum rationes, tamen Berthramus mihi præcipuum locum obtinebit in eorum numero, quos

& amo

& amo ſynceriter, & ſuſpicio non uulgariter. Bene uale. Vereor ne nobis diuerſum quiddam acciderit, tibi qui pro theſauro repereris carbones, mihi qui carbones eſſe ſuſpicans, theſaurum amiſerim.

ERAS. ROT. HECTORI HOXVIRIO PHRYSIO S.

EX literis tuis plane agnoui γνήσιον Goclenij diſcipulum, adeo illum & ſermonis elegantia, & ſingulari modeſtia refers. Næ tu de Eraſmo perquàm magnifice ſentis, qui quum nequaquam ueritus ſis adire Cæſarem totius orbis monarcham, tamen per Goclenium non hortantem modo, uerumetiam fidiubentem uix perpelli quiueris ut me literis compellares. Atqui negant epiſtolam erubeſcere. Quis in tam præclaris animi fortunæq; dotibus tam inſignem uerecundiam non exoſculetur? Sed eidem tamen nonnihil ſuccenſeo, per quam ſtetit, quo minus mihi tam amabile pectus innoteſceret. Quanquam epiſtola tua vij. Calend. Iunias ſcripta, poſtridie Non. Nouemb. demum reddita eſt, ne quid meam incuſes uel negligentiam, uel inhumanitatem, quod ſerius accipis reſponſum. Non eſt autem ornatiſſime iuuenis, quod ambias ut Hectoris Hoxuirij nomen, in amicorum meorũ album aſcribatur, imo tibi plurimam habeo gratiam, quod me tam ſingularis amici acceſſione locupletare uoluiſti. Illud mihi perſuades facilime, quod arcano quodam naturæ ſenſu, raptus fueris in amorem mei. Nam id ni fuiſſet, quid habet hic homunculus, quod uel amet, uel admiretur quiſpiam? Gaudeo tamen ubique multos exoriri, qui ſuo ſplendore, meam ſi qua eſt, famam obſcurent. Gratulor autem & ueſtræ Phryſiæ, quæ cum antehac Como & Baccho familiarior habita ſit quàm Palladi, nunc Muſarum domiciliũ eſſe cœperit, tot felicibus ingenijs iſthic effloreſcentibus. Quid enim Haionis Hermani ſenatoris ingenio dexterius, quid moribus humanius, quid ſtilo puriꝰ aut expolitius? Sit igitur funiculus triplex, qui ut ait Hebræus ille ſapiens, non facile rumpitur, poſtquam acceſſit Viglius Suichemus, cuius ingenium pluſquam niueum in ipſius ad me literis ſæpenumero demiratus ſum. Sed meo in illum amori plurimum acceſſit, poſteaquam hic me ſalutauit, tametſi parum in tempore: nam offendit & languentem, & migrationis tædio laſſum. Admirabilem quendam erga me affectum, non iam oratione tantum, ſed oculis, uultu, totiusq; corporis geſtu præferebat. Reliquit etiam μνημόσυνον apud me ſanè quàm elegans, Anulus erat aſtrologicis notis ſculptus, qui explicitus ſphæræ uicem exhiberet, ut mihi liceat mundum geſtare digito. Aut me fallunt omnia, aut ille ſi ſuperi uitam dederint, futurus eſt aliquando ueſtræ Phryſiæ magnum ornamentum. Adibat tum Italiam, abſoluturus Patauij ſtudiorum ſuorum curſum. Ab Hayone Hermano iam diu nihil accipio literarum, ob id fortaſſe quod non detur per quem tuto ſcribat. Tametſi ſolet hoc officij genere mire ſedulus eſſe. Hominem meis uerbis ſalutabis diligenter. Nam in præſentia non uacabat ſcribere. Salutabis & reliquum ſodalitium nobis bene uolentium, in quod utinam nulla irrepat uipera, quæ noſtram amicitiam maleficis uiciet ſibilis. Nocentiſſimum habet faſcinum non rectus inuidiæ oculus. Poſthac ſi quid a me fieri uelis, amicitiæ iure poſtulabis. Nõ repugnabo Hectori, cui uix Achilles erat par. Nec dubito quin in amicitia quoq; ſis tuo nomini reſponſurus quemadmodum facetiſſime polliceris. Bene uale. Apud Friburgum Briſgoiæ xiij. die Decemb. Anno M.D.XXXI.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS D. IACOBO CANTAE S. D.

AEgidius Vannonius famulus tuus me nõ mediocriter inflãmauit in amorem tui uir ornatiſſime, multa prędicãs de tuo pulcherrimo inſtituto, quo

conaris

conaris ſtudia iam apud plęroſque, neſcio quo malo fato refrigeſcentia excitare, & ad id unum omnes fortunas tuas, omne ſtudium induſtriam'que conferre. Quæres mihi perſuadet te non ſolum uirum bonum eſſe, uerumetiam animo generoſo prędi ditum. Quod ſi literæ quæ nunc apud plęroſque languent emoriantur, quæſo quid erit hæc uita noſtra, aut quid ſperandum, niſi ut in turcicam barbariem degenereſ mus. Vt approbo ſummopere conatum tuum, ita precor ut Chriſtus Opt. Max. quod agis bene fortunare dignetur. Oro ut poſthac Eraſmum in amicorū tuorum album aſcribere digneris. Reuerendiſſimo Cardinali Campegio meis uerbis ſaluſ tem dicito reuerenter. Scio quantum illi debeam, & debeo profecto libenter, & plu ra debere cupio. Eram occupatiſſimus, ſed hoc tempuſculi ſuffuratus ſum ut te ſaluſ tarem, nactus hunc iuuenem tui amantiſſimum, qui cum lubens egiſſem de conſ uictu, niſi tam commodum haberet dominum. Nulla re mihi magis eſt opus quàm fidelibus miniſtris, ſed hæc alea mihi non ſemper cadit ut uolo. Bene uale. Apud Friburgum Briſgoiæ Anno à Chriſto nato M. D. XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS GEORGIO A GVMPENBERGO PROTHOGRAPHEO S D.

PRofecto mei me pudet Ambroſi uir eximie, ſuſpicor literas tuas mihi redſ ditas ſimul cum multis aliorum, iam ſtudij laboribus, ac legendis epiſtoſ lis fatigato. Nam ſic interdum euenit, ut inter plurimas una quæpiam eſſ fugiat fallat'que, aut non lecta, aut oculis carptim decurſa. Hoc tempore quum reſ ſponſurus quibuſdam, epiſtolarum aceruos excuterem, tua forte uenit in manus. Ex ea cognoui te R. Cardinalis Caietani literas ad me miſiſſe. Scito nihil mihi abſſ lo redditum, præter libellos de Euchariſtia, confeſſione, & inuocatione diuorum, in quibus mihi uehementer placuit, & erudita breuitas, & diſputādi ſobrietas, quū nunc magnis clamoribus res à pleriſque agatur, & ſic agatur, ut ex perturbatiſſima fiat perturbatior. Eos & legi perlubenter, & doctis amicis communicaui, deniq; & typographis commiſi. Quod ſi literæ R. D. Caietani acceſſiſſent, plane triumphaſſ ſem. Hoc te neſcire nolui, precor'q; ut hanc infelicitatem mihi condones, me'que paſſ trono tuo excuſes, cuius amplitudini cōmendatus eſſe cupio. Bene uale. Friburgi Briſgoiæ v. die Martij, anno à Chriſto nato M.D.XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS CLARISS. VIRO D. GVILHELMO COMITI AB EISENBVRGO, ORDINIS TEVTONICORVM S. D.

CLariſſime uir, nec pietate minus illuſtris, quàm maiorum ſtemmatibus, reddidit mihi Polyphemus abs te pugionem ſane'q; elegantem, cum hoc elogio, ut ſi minus poſſem calamo profligare hoſtes meos, ferro rem gererem. Lubens agnoui morum tuorum comitatem, quam hic uno atque altero colloquio ſum expertus. Petrus habebat duos gladios, eos'que Chriſtus putauit eſſe ſatis. Verum aduerſus tot phalanges undique coniuratas in Eraſmum uix Cæſaris arma ſuffecerint. Videor mihi iuxta uetus prouerbium aſinus in apes, uel in crabrones uerius incidiſſe. Indies ſe denſius conglomerant furioſa examina. Nunc Peluſij quidam ſodales, gladiatorijs animis ad me affectāt uiam. Nec uideo fore finē, niſi ſorte hirudinū more expleti meo ſanguine, tandem ſpōte defluant. Animat illos in me mea imbecillitas atq; etiā ſolitudo. Hinc imbecillis ſum, quod nulla dignitate maleſ uolos ſubmoueo. Crabrones enim nulla re melius q̄ fumo depellunt. Solus uideor, quia nulli me ſectę addixi, nec ſum addicturus, modo deus hanc mentē mihi ſeruet.

Prouolant

Prouolãt undiq; libelli, ex Italia, è Gallia, ex Hiſpania, è Germaniæ uariis partibus: Quibus nihil aliud proficiunt, niſi quòd traducũt ſuam indoctam malitiam, & diſſidiorum incendium exaſperant. Equidem quod unum poſſum, opto illis mentem meliorem. Nam mihi in hac harena ſtandum eſt uſq; ad extremum uitę diem. Quid facias? Ita uiſum eſt fatis. Tuæ profecto uirtuti gratulor, qui magno animo, pariq; ſucceſſu rem geras, partes ad mediocritatẽ reuocans, tam cauta moderatione, ut nec in Scyllam impingas, nec à Charybdi ſit periculum. Enchiridion tuum non patietur animo meo obrepere tui obliuionem uir amiciſſime. Viciſſim hæc epiſtola meis deſcripta digitis interdum te cõmonefaciet Eraſmi, quem tuto potes inter eos connumerare, qui tibi precant omnia fauſta læta q; : quibus profecto uiridis iſta florida q; ſenectus cũ primis digna eſt. Videtur enim natura mentis pulcherrimæ ſimulachrũ in ipſo corpore expreſſiſſe. Dicas iſtuc eſſe futuræ olim imortalitatis ſpecimẽ quoddam. Sed heus tu pugionem miſiſti Petri, qui uidetur idoneus amputandis auriculis, magis opus eſt qui amputet linguas, nam ea parte nocentiſſimũ eſt hoc animantium genus. Sed deſino iocari tecum. Bene uale. Datum apud Friburgum. xxij. Iunij, Anno à Chriſto nato M. D. XXXII.

ERASMVS ROT. VIGLIO ZVICHEMO PHRYSIO S. D.

EPiſtolam quam Auguſtæ reliqueras accepi, plenam amiciſſimę cuiuſdam erga me uoluntatis, quam abunde & hic preſenti præſens declararas Vigli candidiſſime. Reſpondi per Gallũ auſpicatiſſimi nominis, dicebatur enim ni fallor, Petrus mons aureus, uiſus eſt ſobrius ac probis moribus, is nõ petebat Patauium, ſed per Venetias Romam. Commiſeram illi & alias literas, ſed an reddiderit neſcio. Alteras literas tuas accepi per Antonium Fuggerũ, Patauij ſcriptas xiiij. Calend. Septemb. Qui dies ſi nihil habet erroris, uolaſti tu quidem nõ equitaſti. Suſpicor errore Calami Septembrem pro Octobri poſitum. Vtcunq; hoc habet, gratulor tibi aditæ Italiæ proœmia fuiſſe proſpera, precor q; ut his auſpicijs cætera reſpondeant. De Egnatio nihil tu quidem noui narras, ſed tamẽ iucunda omnia. Sic enim amo uirum ad unguem factum, ut ad omnem de illo cõmemorationem exhilarer. Quid audio? cum Ciceronianorum turmis uelitaris, & paras te iuſto conflictui? At prius ſcire uelim quid inter uos conueniat, quid ſit in controuerſia. Si uolunt ut iuuenes ſeſe componant ad imitationem Ciceronis, in hoc maxime nobis cũ illis conuenit. Nec repugnarim, ſi cenſent hunc præcipue imitandum. Sin uero non permittunt ut uſq; à Cicerone recedamus, neq; quicq; ab alijs licet probatis autoribus ſumamus, nec ipſos arbitror hoc facere, quod ab alijs exigunt, ſi qui ſunt omnino qui hoc exigunt. Sed malus quiſpiam genius hanc peſtem conatur inijcere ſtudijs, qualem iam pridem iniecit religioni. Hermanus Phryſius ſemper mihi uiſus eſt affectare Ciceronis iucundam facilitatem. Quod arbitor te quoq; tum feciſſe, tum facere. Nam hæc epiſtola tua poſtrema ſpirabat neſcio quid Tullianum, non quidem præter ſolitum, ſed tamen ſolito magis. Verum illud tibi uidendum eſt, ne dum impendio ſtudes eſſe Ciceronianus, parũ approbes te auribus τῶν νομοσόφων καὶ φιλοβαρβάρων. Extra iocum mi Vigli ſuaſerim, ut aut cum talibus ne conflicteris, aut ne concertatio exeat in amarulentiam. A' me ſi requirunt Tullianæ dictionis nitorem, bis iniquum faciunt, primum quod à Batauo, dein quod à Theologo. Alioqui ſum ex eorum numero, qui M. Tullij facundiam, diuinam eſſe potius q; humanã arbitrantur. Tantum abeſt ut illius phraſim improbem. Nos hic toti ſumus in rixis. Prodierunt cenſuræ Sorbonicæ, his reſpondi ſed perpetua moderatione. De eodem quod aiunt oleo, reſpondi & Clithouei ueteribus nænijs. Expectatur Cæſar Ratisbonæ Synodum inſtauraturus, ſed ille mirum q; agat Callipiden, nec id præter ſolitum.

Ego multis iam diebus tussi concutior. Vulgare nunc hic malũ est. Miror te in literis non meminisse Bembi, quem audio præcipuum isthic omnium felicium ingeniorum agere patronũ: oportet enim te illi iam & notum & charum esse, nisi aut tu aut ille mihi parum notus est. Vale. Datum apud Friburgum octauo die Februarij Anno à Christo nato M. D. XXXII.

ERAS. ROT. CLARISS. VIRO IOANNI PAVNGARTNERO S.

VTinam ex ingenij mei uena tam facile aliquod depromere liceat uir clarissime, & tibi procliue est è terræ uenis, munus nostra dignũ amicitia. Vt adte antehac ignotũ scriberem, eam audaciam me docuerat Zasius exhortator uehemens, cui quicquam negare mihi non est integrum, ob innumera ipsius in me merita, quibus me sibi iam olim habet obstrictum, nunc hoc etiam nomine obstrictiorem, quod hominis candidissimi accessione amicorum meorum catalogum auxit. Paucos hodie reperias ex animo amicos. At illud synceræ beneuolentiæ præcipuum est argumentum, si quis suos etiam amicos cum amico cupiat habere communes. Proinde quum mihi uehementer gratum sit quod misisti aurum natiuũ & infectum, animi minime fucati symbolum, tamen non paulo beatior mihi uideor factus, qui te amicum lucrifecerim, & qui munus acceperim, quod tua tamẽ modestia hoc nomine uocari non patitur, arram dici mauis. Nihil adhuc officiorum in te contuli, nec quid omnino possim uideo, sed si quid in te conferre liceat, in promeritum contulero. Repeto eñ id quod scripsi superioribus literis ni fallor, quot nominibus tibi Zasium habes obstrictum, totidem habes & Erasmum deuinctum. Superest ut & Zasio proxenetæ, & tibi gratias agam uir amicissime, lubens relaturus, si uel tu uel Zasius submoneat qua in re queam animo tuo gratum facere. Si lubet, facito periculum an hæc ex animo loquar nec ne. Cupio te cũ omnibus tibi charis & rectissime ualere. Septimo die Mart. Anno M. D. XXXII.

ERASMVS ROT. THOMAE CARD. CAIETANO S.

IPsa re comperio uerum esse quod scripsit Beatus Augustinus, esse errorem aliquem bonũ. Nam ut illi itineris error fuit saluti, dum per ignorantiam à recta uia deflectens euitat Donatistarum insidias, ita mihi Ambrosij Gumpẽbergij error, qui credebat tuas ad me literas fasciculo admixtas esse, uiam aperuit, ad T. R. dignitatis amicitiam. Siquidem tuam erga me beneuolentiã, haud alio argumento euidentius perspicio, & quod prudenti simul & amico consilio rationem ostendis qua pariter & hominũ uel suspiciones, uel offensiones ualeam abolere, & studijs meis ac senectuti ab oblatratoribus quietem redimere. Quod suadet tua R. D. iam mea sponte magna ex parte præstiti, notatis & correctis locis complu ribus, in quibus indubitatus erat lapsus, uel meus, uel typographorum. Moderationem autem quam requiris, iam omnium iudicio prẽstiti, respondens censuris Theologorum Parisiensium, quæ nuper facultatis nomine prodierunt, quum reuera sint unius hominis irrequieti, ac eiusmodi moribus ut suo collegio uix sit tolerabilis. Toties mihi occinitur Augustinus, at ego non paulo fui seuerior in meas lucubrationes, & in suas fuit Augustinus, qui retractationem appellat, non palinodiam sed recensionem suorum operum ne quod intercideret. Quanq; obiter quædam corrigit haud magni momenti, nonnulla defendit haud absq; specie tergiuersationis. Neq; uero recusem idem facere in uniuersa scripta mea, si modo constet quæ loca uel errorem habeãt, uel ob affinitatem erroris probabile offendiculum. Sed quid faciam ad loca reprehensoribus non intellecta, quid ad deprauata, quid ad malitiose in alienum sensum detorta, quid ab alia persona ad aliam, ab alijs temporibus ad hęc translata?

fata? Et huius generis sunt plæraque quæ mihi complures obganniunt, uel odij, ue inuidiæ, uel gloriæ causa. Fingunt illi quidem ecclesiæ zelum, sed tamen nunquam me capitalius inuaserunt, quàm id temporis quum in Germania maxime depugnarem cum sectis inualescentibus. Et sunt quorundam tam siniſtra iudicia, ut si illis seruire uelim, ea mihi tollenda sorent è scriptis meis, quæ homines docti iuxta ac pij iudicant esse optima. Si mihi uel mica esset hæreticæ mentis, iam pridem tot improbis oblatrationibus efferari, & in hæreticorum castra transire poteram. Nunc ne unum quidem discipulum mihi unquam adiunxi, sed si quos potui auellere, tradidi ecclesiæ, condiscipulos illius malens quàm meos discipulos. Multis obticui, nullum non uici moderatione. Sed utcunque hæc habent, quod suadet T. Reuerenda prudentia, quanquam id mea sponte destinarã, hoc tamen faciam alacrius, quod tantum habeam huius instituti comprobatorem. Ora obloquentium, quod tu speras, nunquam prorsus obstruam, duntaxat eorum, qui id morbo animi faciunt, non iudicio. Mihi abunde satis fuerit, si bonis satisfaciam, sed in primis Christo. Illud etiam atque etiam sibi persuadeat uelim R. T. dignitas, suam admonitionem mihi fuisse multo gratissimam, quam breui faxo, ut intelligas non fuisse inanem. Nam his nundinis autumnalibus hoc absoluere non possum. Ad Pascha, fauente Christo, perfectum curabo. Decreueram & illud, è scriptis meis colligere in unum, quę palàm aduersantur quorundam calumnijs, & improbatis dogmatibus, Deinde loca suspecta uel interpretari, uel emendare, sic ut interim nullius hominis aut ordinis nomen ullo conuicio perstringatur. Scio quosdam hinc adornaturos triumphum, & Erasmum deiectum clamitaturos. Sed mihi prius est quod conducit ecclesiæ tranquillitati, quàm meo nomini. Si Christo probor, si tibi tui'que similibus, qui ueram eruditionem cum uera pietate coniunxerunt, satis uici. Dignitates ac sacerdotia nihil moror, ἐφήμερος homuncio, pergratum tamen erit, si hoc agenti summus Pontifex faueat, id que aliquo declaret argumento. Roma multos iam libellos sycophanticos nobis misit, quum ab ista pietatis arce meliora expectet orbis. Dissidiorum plus satis est ubique. Tales libelli nihil aliud sunt quàm dissentionum seminaria. Bene uale. Datum Friburgi Brisgoiæ. x. Calendas Augusti, Anno M. D. XXXII.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS ORNATISS.
D. IOANNI RINCKO, S. D.



Rnatissime uir, quanquam non erat quicquam rei seriæ quod scriberem, tamen non potui committere, ut unicum amicum meum Rinckum his nundinis insalutatum præterirem, cuius perpetua consuetudine si frui datum esset, sat mihi beatus uiderer. Sed fatis agimur, & fatis cedere cogimur. Facile sentio mihi non multum eius fili quod Parcæ nent superesse, sed tamẽ quantulumcunque id est, malim in ciuitate celebri frequenti'que peragere, ubi & amicorum largior, & rerum paratior esset copia. Sed in hoc littus nos detulit tempestas. Locus hic non est quidem inamœnus, sed ut submotior à Rheno, ita minus frequens, ac maligna rerum copia. Oppidum initium, ut fertur, duxit à metallis, nunc exhaustis: hinc morum ἐπιχωρίωμ nonnulla etiamnum uestigia animaduertas licet. Quum æstate superiore pararem migrationem, admonitus sum ab amicis aulicis, præsertim Episcopo Augustensi, expectarem exitum concilij Augustani. Nunc quum denuo librarem alas, aliquò prouolare gestiens, rursus iussus sum expectare exitum concilij Spirensis, qui qualis futurus sit uaria est hominum diuinatio. Sed de nobis accipe quod rideas. Si quis tibi nunciaret Erasmum iam prope septuagenarium duxisse uxorem, nonne ter'que quater que te signares cru-

cis imagine? Faceres fat ſcio, & equidem non iniuria. Atqui nunc mi Rincke rem feci nec minus operoſam, nec minus moleſtam, nec minus ab ingenio ſtudijſque meis alienam. Emi domum ſpecioſi quidem nominis, ſed parum æqui pretij. Quis nunc deſperet amnes uerſo in diuerſum curſu, relapſuros ad fontes ſuos, poſtea quam Eraſmus, qui hactenus per omnem uitam omnia poſt habuit ocio literario, factus eſt licitator, emptor, ſtipulator, cautor, ædificator, ac pro Muſis rem habet cum fabris lignarijs, ferrarijs, lapidarijs, uitrarijs? Hæ curæ mi Rincke, a' quibus meus ſemper abhorruit genius, me tantum non exanimarunt tedio. Et adhuc peregrinor in propriis ædibus, quod ſpacioſæ licet, nullum habeant nidum cui turo poſſim hoc corpuſculum committere. Vnicum conclaue paraui extructo fumario, & contabulatis ſolo pariter ac lateribus, ſed ob uirus calcis nondum auſim me illi credere. Breui tamen immigrem oportet, quod felix fauſtum'que ſit, Nondum enim fuit. Cruciatum ſiniſtri pedis excepit ſtomachi profluuium, qui diem iam ſeptimum me tenet. Sed nimium de meis. Facile poteram prono Rheno delabi Coloniam, ſed diſſuadentibus amicis hic hæſi, atque ut uideo expectanda hirundo noua. Neq; enim me remorabitur empta domus, ſi cætera habebunt ut uolumus. Si tibi tuiſq; proſpera ſunt omnia, eſt quod ſummopere gaudeamus, id'que ut perpetuum ſit optamus. Datum apud Friburgum Briſgoiæ quarto die Septembris, Anno a' Chriſto nato, M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. EPISCOPO RIVENSI S.

IVre quis tribuat improbitati, ornatiſſime præſul, quod ignotus appellem ignotum: audacię, quod treſſis homũcio ad tam eximiũ principem, omni q; decorũ genere ſplendidũ me metingeram, ſed ut egeſtas excutit pudorẽ, ita charitas, autore Ioanne, propellit timorem. De tuis egregijs uirtutibus mihi tam multa prædicantur a' multis, ut te nõ poſſim non uehemẽter amare. Addidit fiduciã mor; tuorũ admiranda quædam, ut accipio, comitas, ſed in primis mirifice propẽſus fauor erga politiores diſciplinas, quas uidem⁹ hoc ſeculo feliciter apud oẽs nationes effloreſcere, id'q; preſidio linguarum, ac ueterum autorũ undiq; e' tenebris in lucem emergentiũ, Quanq̃ ex his qui extabant aliquot nõ minus perierant, q̃ qui maxime uidebant̃ interciditſſe. Liber em̃ prodigioſis mendis undiq; ſcatens, crux eſt ueriusq̃ liber. Sudatum eſt pridem a' Frobenijs in reſtituendo Ioſepho hiſtoriographo cum primis celebri, ſed comperimus illum inſanabiliter deprauatum, niſi ipſum græcelo quentem adhibeamus. Ruffinus quidem nihil unq̃ uertit bona fide, ſed in hoc autore uidentur multi ſuo luſiſſe arbitrio. Eũ accepimus in tua bibliotheca Greçum eſſe, cuius codicis ſi nobis ad paucos menſes copiã facere non grauaberis, non nos tantũ, ſed uniuerſos etiam ſtudioſos iſto beneficio tibi reddideris obſtrictos. Liber adtere dibit incolumis, atq; adeo' illæſus, ad quemcũq; diem tu præſcripſeris. Dices cũ Ennio: Ecquid erit pretij? Scilicet hoc, quod mortales perſoluunt diuis immortalibus. Agemus gratias, celebrabimus autorẽ beneficij, & quod re nõ poſſumus repẽdere, gratæ uoluntatis ſtudio referemus. Ob hanc cauſam emandauimus hunc tabellionem, quo codex tuto ad nos perferatur. Scio ciuitatem Baſilienſem his temporibus non optime audire, ſed nihilo ſecius habet illa multos integros uiros, qui mallent alibi uiuere, ſi ſine graui incõmodo liceret demigrare. Certe illud à nobis curatũ eſt ſedulo, ne quid ex illa prodeat officina, præter optimos quoſq; autores. Hactenus egi cauſam mihi cum Hieronymo Frobenio, cum'q; ſtudioſis omnibus cõmunem, nũc proprie agam meũ negocium. Quid iſtuc inquies? Etiam atq; etiã rogo ut Eraſmũ inter infimæ ſortis clientes aſſcribere digneris. Bene uale. Friburgi Briſgoiæ .xiij. Calend. Decemb. M. D. XXXI.

Eraſmus

ERAS. ROT. IOANNI GEORGIO PAVNGARTNERO S.

PAter tuus optime Georgi, me primum uicit humanitate, quod perexcellenti doctrina uirum Zasium prior ad amicitiam prouocauit, quam crebris literis amantissime scriptis hactenus diligenter alit fouet'q;. Ego uero inter prȩcipuas felicitates meas numero, quod hominis tam candidi, tam'q; benigni beneuolentiam nactus sum, nec alio nomine magis perspicio Zasium mihi ex animo amicum esse, q; quod tam singularem amicum mihi secum uoluit esse communem. Hanc meam felicitatem auxisti, mi Georgi, qui te literis tua manu descriptis in hoc nostrum fœdus temet insinuaris, in quibus quum alia multa sum exosculatus, tum præcipue indolem istam liberalem, ingenuum'q; pudorem, qua factum est, ut quod tuo iure licuit postulare, id tam uerecunde, tam'q; reuerenter putaris ambiendum. Mihi uero posthac & ipse Ioannes Paungartnerus erit charior, qui talem habeat, non modo facultatum haudquaquam exilium, uerumetiam egregiarum uirtutum, quibus multo speciosius diues est q; possessionibus, paratum hȩredem. Etenim si quod arbitror, hȩc epistola tuo unius marte, καὶ ἄνευ θυσίας scripta est, nihil mediocre de te nobis pollicemur, nec dubitamus quin tu qua cœpisti pergens, sis & maiorum splendori, & omnium tuorum expectationi abunde responsurus. Respondebis autem si solidam eruditionem cum integritate morum coniunxeris. Ad quod quũ tibi & domestica progenitorum atq; affinium exempla, & præceptoris eruditi uigilantia, & quicquid à fortuna suppeditari potest, abunde suppetat, non ueremur ne tute tibi sis unquam defuturus, præsertim quum adhuc in herba tam præclarum de te specimen dederis. Superest ut deum Opt. Max. comprecemur, ut tibi & uitam incolumitatem'q; largiatur, & istum animum quem inspirauit semper in maius proueat. Hæc scripsi inter uarias occupationes, ne non haberes meæ in te non iam beneuolentię tantum, uerumetiam pietatis chirographum. Nam si mihi cum patre tuo ictum amicitiæ fœdus postulat, ut inter illum & me sint omnia communia, æquum est profecto ut in te parentis sumam affectum. Id quod facio per q; libenter, quia nõ perinde ex amicitię legibus atq; tuo merito. Dominus tuam indolem sospitet ac prosperet Georgi charissime. Apud Friburgum Brisgoiæ v. die Iulij. M.D.XXXII.

ERAS. ROT. R. D. D. BERNARDO EPIS. ET CARD. TRIDENTINO S.

QVaternas iam hisce diebus literas à tua R. sublimitate accepi, nõ dissimili argumento. Quæres mihi declarat singularem quandã tuam erga me pietatem, plurimis quidẽ argumentis iam olim perspectam & exploratã, sed gratum tamẽ est eius memoriã subinde nouis occasionibus refricari. Quod inuitas ad conuentum istum Spirensem, uideo te satis magnifice sentire de mea ualetudine. Ego in his nouis ædibus iam quartũ luctor cũ morte. Satis feliciter cessit cõcertatio, donec æstiui cœli cõmoditas faueret luctanti. At simul inhorruit Autumnus, ægre inclusus apud focũ desidens languidum spiritũ traho. Sub festum Michaëlis subito exortus Euroaquilo me cõiecit in lectũ. Amicus quidam ac uicinus meꝰ eodem die eadem ex causa morbum cõtraxit, & decessit intra quatriduũ. Deiecta est quercus, ego arundo, ut est in apologis, uacillando subsisto. Quid isthic reip. sim profuturus nescio, certe mea referret isthic adesse quemadmodũ retulerat & Augustensi concilio nõ abfuisse. Sed quid faciã huic corpusculo plus q; uitreo, cui mutatũ cubiculũ, aut uinũ, cui aurula incõmodior mors est? Nõ me clàm est inter futuros cõcilio, qui mihi pessime cogitãt, atq; etiã exitiũ moliuntur. Id si uacabit, poteris ex R. D. Ioanne epo Viennẽsi cognoscere. De pecunijs nõ sum solicitus, dominus prouidit hactenꝰ, & prouidebit ut spero, Tantũ optabã, ut mihi liceret in hac extrema senecta quietẽ a-

 gere, ne id

quidem datur. Hæc domus empta inextricabilibus moleſtijs me inuoluit. Nec tamen adhuc ullus eſt locus in ea tota huic corpuſculo ſat commodus. Multi miran-tur, quis ſit iſtius conuentus futurus exitus. Spiritus Chriſti dignabitur ſuggere-re principum animis quæ ſunt ſaluberrima. Ibi magna adhibenda eſt cautio, ne dum alteram partem compeſcimus, alteri non ius ſuum, ſed tyrannidem uindicemus. Quos fugiam uideo, quos ſequar uix uideo. Tantum nunc licuit per ualetudinem. Vbi fuero confirmatior, ſcribam copioſius. Dominus R. Celſitudinem tuam ſeruet incolumem. Datum Friburgi Briſgoiæ ix. die Octob. M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS ALFONSO VALDESIO S.

AMantium ire, inquit Comicus, amoris reintegratio eſt. Abſit autem ut inter nos tam non uulgari coniunctos amicitia, quicquam incidat offenſionis. Fit tamen interdum, ut inter coniunctiſſimos quoque ſuſpiciuncu-læ quædam aut expoſtulationes obortæ renouent beneuolentiæ uigorem. Vix enim fieri poteſt ut inter homines amoris flagrantia perpetuo duret, niſi ſubinde ſti-mulis quibuſdam excitetur. Poſtremo iam nimium compertum eſt, quantum ua-leat nocentium linguarum faſcinum. Proinde ſi quid etiam de uchementia ſingu-laris iſtius erga me beneuolentiæ, aut ut tu rectius nominas, pietatis, remiſiſſes, tan-to ſeiunctus interuallo, tot aulæ diſtentus negocijs, quid aliud quam homini quid-dam humanum accidiſſet? Ac prorſus niſi ex ipſis natus eſſes Gratijs, earum'que lacte nutritus, qui potuiſſes inter tot oblatrantium uenena, conſtanter iſtum ani-mum purum ac ſyncerum tueri? Porro' nigri nomine, quandoquidem hoc ſcire cu-pis, notaui. N. De te uero nihil aliud ſuſpicabar optime Valdeſi, quàm ne forte in animum induxiſſes, poſthac cum iſtis crabronibus non congredi, id'que conſilium ualde mihi probatur. Facilius enim ſubleuat amicum inuidia grauatum, qui ipſe nul-la premitur inuidia. Nec mihi ſemper libet ſcire, quid hic aut ille de me loquatur ſcri-bat'ue. Nihil hoc ſeculo furioſius neque loquacius. Soles autem non ipſe tantum ad me perſcribere quorundam inauſpicatorum hominum tumultus, uerum etiam alio-rum epiſtolas ſimili argumento tranſmittere. Hæc nouitas fecit, non quidem ut ue-erem in te beneuolentiam in te deſiderarem, ſed ut magis admirarer prudentiam. Noui celſitudinem animi tui, non modo pecunia, ſed omni etiam gloriæ affectu ſu-periorem, fateor'que ueriſſimum eſſe quod ſcribis, te nullam unquam dediſſe ſi-gnificationem quod ambires quicquam mearum lucubrationum tibi dicari. Ha-ctenus quidem mihi tecum conuenit. Cæterum cauſam quam ſubijcis non ſatis in-telligo: non quod inuidiam timerem inquis, ſed quod eas pluris facerem, quàm ut mihi inſcribi deberent, optaui'que potius, ut uerum amicum decet, earum immorta-litati, quàm meæ gloriolæ conſultum eſſe. Vtinam meæ lucubrationes eſſent eiuſ-modi, ut talis amici nomen poſſent ad poſteros tranſmittere. Sed uehementer er-ras uir cādidiſſime, ſi me putas hoc eſſe animo, ut exiſtimē meis ſcriptis ex cuiuslibet principis titulo plus decoris acceſſurum, q̄ ex Valdeſij nomine. Habes tu quidem in te quo nomen tuū conſecres immortalitati, nec eximia uirtus moratur hominū lau-dem, attamē iſtud aliorū refert, ut rara uirtutiq; nata ingenia poſteritati tradantur. Quum tota epiſtola tua fuerit mirifice iucunda, clauſula tamen eius multo fuit iu-cundiſſima, qua mihi ſpem oſtendis fore, ut breui cominus inter nos colloquamur. Qua re uix aliud acciderit exoptatius. Sed male metuo ne tantam felicitatem iſte in-explebiles negociorum cathenæ nobis inuideant. At tamen tibi parabimus hoſpi-tium. Age ſi quis tibi nunciaret Eraſmum ſemiuiuum, ac penè ſeptuagenarium du-xiſſe uxorem, nonne manu pingeres magnam crucem, clamares'q; papæ, prodigiū audio. At qui ne ſis inſciens, rem feci neq; minus moleſtam, neq; minus alienam à

ſtudijs

ſtudijs ingenio'q; meo. Rogabis quid ſit: Emi domum, hic quidem honeſti rumoris, ſed iniquæ indicaturæ. Dices, quid accidit? Longa eſt amice fabula, quam præſtat in noſtrum reſeruare colloquium. Tantum uereor ne loci nouitas, & inſolitæ curæ magnum aliquod malum accerſant ualetudini. Iam enim ut omittam alia, lætum pedem corripuit podagra, aut aliquid podagræ affine. Nimirum hi ſunt τῦ θανάτου παντοκράτορος ueredarij. Acceſſit hodie dyſenteria. Leuinus meus panagathus ambit neſcio quid muneris apud Reginam Mariam, Velim mihi ſignifices quid de iuuenis ingenio ſentias. Liberet tecũ pluribus confabulari, ſed eodem tempore plurimis ſcribendum eſt. Vale. Friburgi IIII. Calend. Septemb. M.D.XXXI.

ERASMVS ROT. SIGISMVNDO QVESTENBERGIO S.

GAudeo te Sigiſmunde chariſſime, leuatum & moleſtis & parum frugiferis laboribus, quibus δευτάρχου uicem gerens diſtringebaris. Magis autem lætor te incolumem eſſe, præſertim hoc peſtilentiſſimo tempore, q; res uobis accilas eſſe. Tui quidem ſimilibus nihil poteſt eſſe nimium, qui quicquid habẽt, aut neceſſitati impendunt, aut honeſtæ benignitati reſeruant. Sed nulli magis inclamant diuum atque hominum fidem, q; quibus adhuc ſupereſt unde alant caballos, aues, canes, aleam & puellas: unde ſatrapas agant, & Lucullos, quum in ædibus uix ullus ſit codex ſacer. Horum querimoniæ mea quidem ſententia non multum habent frontis. Quid agat Cæſar nunq; magis fuit occultum q; nunc, nec uſquam magis q; illic ubi nunc agit apud Brabantos. Quidam amici mei ſtudio ſe miſcuerunt purpuratis, ut aliquid expiſcarentur, nihil potuerunt ſubodorari. Illud norunt omnes, uenatur gnatiter, ualetudinis opinor gratia, tot tam'q; longinquis profectionibus, tot conſultationibus nonnihil fatigatæ. Prolixum eſt iter ex Hiſpanijs Bononiam. Illic præter ceremonias ad unguem religioſe peractas, de rebus haud uulgaribus, domeſticis colloquijs agitatum eſt cum Clemente ſeptimo. His ſucceſſit Auguſtenſis conuentus, incredibili principum celebritate. Ab hoc itum eſt Aquiſgranum, ubi rex Romanorum deſignatus eſt Ferdinandus. Poſt tanta negocia feliciter obita nonnihil relaxat animum apud ſuos Flandros, in quorum gremio natus eſt. Exigitur autem incredibilis pecuniarum ſumma, ſed habet patriam tam amantem ut uelit, tam opulentam ut poſſit magna largiri. In quem uſum hæc fiant, uaria eſt hominum diuinatio, nihil autem certi. Sunt qui diuinent illum autumno per Gallias triumphabundum repetiturum Hiſpaniam, alij putant hos bellorum neruos parari in Turcas, nonnulli coniectant ſubito futuram incurſionem in ſectarum propugnatores. Euentum deus nouit. Nos certe uelut Hebræi exulantes Babyloniæ, quibus non licebat cantare canticum domini in terra peregrina, expectamus Meſſiam noſtrum, qui nos in priſtinũ reſtituat ſtatum, utinam poſſet & ſyncerę pietati reſtituere. Sunt qui flagitant Synodum οἰκουμενικήν, ſed arbitror nihil futurum, & nec ſanè uideo quid bonæ rei ex eo conſilio ſit oriturum ſi fiat, præſertim hoc rerum ſtatu. Altera pars de regno nihil ſuſtinet remittere, altera dogmatibus citius ſit aliquid additura. Si quis de temperamento mutire incipiat, protinus audit, nouę hęreſeos autor. Ante paucos dies fuit hic quidam ex aula regis Ferdinandi uir nõ perinde quidem doctus, ſed perhumanus raræ'q; pietatis. Is nobis retulit nouam uix'q; credibilem fabulam, iſthic eſſe Momũ quendam bicornẽ, his enim uerbis uſus eſt, qui magna petulantia ſolet debacchari quum in omnes bonarum literarum amantes, tum præcipue in Eraſmum, non iam in conuiuijs tantum, ſed in publicis etiam concionibus. Conatus ſum expiſcari quis eſſet ille Momus bicornis, ſed ille nomen ędere noluit. Tantum, quũ diuinarem quis eſſet, leuiter ſubriſit, capite tamen abnuens. Ac plane crederem me recte diuinaſſe, niſi tam eſſet abſurda fabula, ut in neminem comperat

niſi

nisi hominem insigniter stupidum ac uecordem, qualem absit ut uel pagus ullus habeat ecclesiasten. Imo' mihi persuaderi non potuit, isthic esse quenquam tam effreni lingua, tam'que nullo iudicio, ut eiusmodi nænias uel in compotationibus effutiret. Verum ille contra constanter asseuerabat se narrare non rumore iactitata, quæ ueluti per eburneam portam subuolantia somnia, non raro cõperiuntur ἀνεμώλια, sed suis ipsius oculis conspecta, suis ipsius hausta auribus. Addebat locum & diem, citabat nominatim cõplures testes πάννἀξιοπίστους, qui uidissent & audissent eadem. Sed iamdudum uti suspicor, gestis audire fabulam. Audies, sed unicam: nam ille complures memorauit. Aiebat illum præcipue uociferari in nouum testamentum à me uersum é Græcorum codicibus. Itaq; quum ἐκκλησιάζωμ tractaret apud populum eius diei euangelium, apud imperitam multitudinem iactauit, atq; quantũ potuit verbis exaggerauit insignem meã temeritatem, qui in Euangelio Matthæi, cap. xx. de meo adiecerim: & baptismate quo ego baptizor baptizari: quũ in nostra translatiõe tantum calicis epotandi fiat mentio. Addebat idem alijs locis à me frequenter fieri, dũ in diuinis libris pro mea libidine multa impudenter, quædam etiam hæretice demo, addo, muto, utcunq; uisum fuerit, id'q; summo rei Christianæ detrimento. Proinde religiose admonuit uniuersos & singulos, ab eiusmodi nouis magnopere cauendũ. Hæc apud plebeculam, plusq; ἀναλφάβητον, quæ credebat esse uerum quod ille narrabat. At profecto quisquis hoc auderet quod ille prædicabat à me factum, dignus esset odio publico. Sed ab hac temeritate plurimũ abest, qui relicta uulgata lectione ut habetur intacta, studiosis ea latine uertit, quæ habentur in Græcorum codicibus, haud qbuslibet, sed quos sequuti sunt Origenes, Chrysostomus, Basilius, ac Theophylactus, alijq; uiri celebres & orthodoxi, postremo & sanctimoniæ titulo cõmendati. Qua fronte dicitur addere & adimere, qui in uulgatis Latinorum codicibus nõ mutat apicem? Aut quid detrahit adijcit'ue, qui professus interpretem, hoc bona fide reddit, quod in libris reperit, quos uertendos suscepit? Si non est in Græcorũ codicibus, quod latine reddidi, erat quod interpretis fidem in me desideraret. Iustiorẽ aũt habebat in me uociferandi causam, si professus interpretem, hoc quod constanter habebatur in Grecorum exemplaribus, omisissem. Adeo' porro' hic non damno latinã editionem ab ecclesia receptã, ut in annotationibus admoneã fieri potuisse, ut hæc particula ex Marco huc sit adiecta. Nam tale quiddã apud nos interdũ factũ cõperimus, sed crebrius apud Græcos, mea qdem sentẽtia. In causa fuerũt canones, qbus Origenes, & post hũc Eusebius indicarunt, qd in quoq; Euangelistarũ cõueniret dissideret'ue, qd deesset aut supereset. Nã qd studiosus quispiã annotarat in spacio marginis, scriba parũ attentus transtulit in contextũ. Et quanq; istiusmodi quedã deprehẽdunt apud Origenem, Chrysostomũ, ac Theophylactum, tamẽ fieri potuit ut ipsi nihil immutarint in contextu, tantũ interpretantes attexuerint ea, quæ ab alijs essent addita. Quid sibi pmiserint ueteres, mihi parũ liquet, certe optarim in diuinis libris nec apicem mutari, presertim ex ea lingua qua primũ proditi sunt. Id si factũ est alicubi, à qbuscunq; quocũq; iure factũ est, mihi certe non potest uitio uerti, qui nihil aliud profiteor & interpretem. Quod si totũ eum laborẽ damnat, quo Græcorũ lectionẽ tradidi latinis auribus, legat apologiam meã qua respondi Petro Sutori carthusiano. Nondũ mihi persuadeo talibus esse moribus uestrũ ecclesiasten, per te tamen certior fieri cupio. Si uera mihi narrauit aulicus ille, literis hominẽ admonebo ut ab ista linguæ petulantia tẽperet, presertim apud homines nõ impios modo, uerũ etiã rurestres ut audio. Quod si monitus nõ destiterit, cogar et ipse germanice loqui. Sed spero rem secus habere, q̃ mihi narrata est: aut si sic habet, arbitror hoiem si Christiana mente prẽditus est, admonitũ ab ista debacchandi in immeritum licentia temperaturũ. Bene uale amicorũ candidissime. Friburgi Brisgoiæ Nonis Augusti. 1531.

Petrus

PETRVS BEMBVS, ERASMO ROT. S.

INcredíbili uoluptate cum tuæ me literæ affecerunt, tua præſertim manu ſcriptæ: Cognoui enim ex ijs minime uerum eſſe id, quod ad nos incertis rumoribus afferebatur, uexari te morbo neſcio quo, nõ ſine maximo uitæ diſcrimine: tum Caroli tui, quem mihi commendas, ſermo prudens ille quidem & ſuauis auxit uoluptatem meam: qui & ualere te, & præter communem illam locorum iſtorum tempeſtatem, quam commemoras, nihil tibi mali proprium accidiſſe ſcire ſe dixit. Quamobrem nihil mihi potuit afferri uel tuis literis, uel illius ſermone iucundius. Quo enim minus multi ſunt, qui noſtram ætatem ſcriptis illuſtrarint & locupletarint ſuis: eo mihi grauius accidebat, te qui optime omnium id et feciſti iam, & nunc etiam impenſius facis, eripi cum Germaniæ Galliæq; quarum es præcipue in oculis, tum Italiæ, quæ te una quanti faciat, illa ipſa tua ſcripta facile teſtantur: quæ quidem planè iam omnium noſtrorum hominum non ſolum oculos atq; animos oblectauerunt, ſed etiam bibliothecas referſerunt. Itaq; redeo ad id, iucundiſſimas mihi fuiſſe tuas literas. In quo parem me tecum habuiſſe conditionem ſanè uideo: quem ſuſpenſum de meo ſtatu (putabas enim fortaſſe me Romæ fuiſſe miſeris illis turbulentiſſimiſq; temporibus, cum direpta uaſtataq; eſt) Sadoleti mei literæ, quemadmodum quidem ſcribis, moleſtia liberauerunt, quibus literis me Patauium multo ante acceſſiſſe cognouiſti. Quam quidem me ad urbem ex multis laboribus, tanquam in portum ex tempeſtate contuli, ubi quieſcerem. Ea in ſentẽtia utinam ipſe quoq; Sadoletus permanſiſſet, ut cũ ſemel prouinciam petiſſet, ut otio frueretur, reſorberi ſe Romanis fluctibus non ſiuiſſet, fortuna in illum minus iuris habuiſſet. Sed homo omnium innocentiſſimus fruſtra ſe à Pont. Max. peti uocariq; paſſus non eſt. Itaq; iuſſus illuc rediit: ubi iacturam feciſſe unà cum multis magnis atq; claris uiris non tam reprehendendus eſt, quàm quod ante, quàm Roma caperetur, ſeſe unus explicuerit, indeq; diſceſſerit, laudandus. In illo humaniter lapſus, uel etiam cum ratione progreſſus eſt: hoc extremum magni conſtantiſq; animi, ac propè diuini conſilij fuit. Sed de his hactenus. Perturbari tua ſtudia tumultu propè bellico, conuelliq;, ut audio, ueſtrum omniũ uoterem in Deum Opt. Max. cultum, cerimoniasq; ſacrorũ nobis à maioribus noſtris per manus traditas, moleſte tuli: doluiq; tuam uicem deuexæ iam ætatis hominis, inq; tuis optimis cõfirmatiſq; iudicio & longinquitate uitæ moribus & uirtutis actione quieſcentis. Quanquã quis eſt, qui hoc tempore plures cũ fortuna expoſtulandi cauſas argumentaq; non habeat? Tibi ſi recte cũ ualetudine tua erit, reliqua uel ſanabuntur aliquando, uel erunt ferenda: humana em̃ ſunt: prudentibus præſertim uiris, quibus uiuis animi curſus & uoluntas impediri pietasq; non poteſt. Carolus Vtenhouius erit mihi eo loci, quo apud te eſt. Vna em̃ commendatio tua omniũ mihi neceſſitudinum inſtar eſt, ut non modo nullo meo incommodo, quod adſcribis ipſe, illi commodem, ſi quid erit, in quo ei uſui eſſe poſſim: ſed etiam ut nihil planè habeam cum illo non cõmune, non amicos, non domum, non pecuniam ipſam, quam excipis, ſi ea uolet uti. Omnino nihil tam tuum eſſe, quàm mea omnia meq; ipſum ſi exiſtimabis, non fallam opinionem tuam. Id cum uirtuti tuæ atq; doctrinæ, tũ tuo de me iudicio debeo. Vale. Pridie Non. April. M. D. XXIX. Patauio.

Ex Horatio Te rursus in bella resorbes Vnda fluit aestuosis.

ERASMVS ROT. PETRO BEMBO. S.

QUidem ſat feliciter mihi ceſſiſſe meam audaciam exiſtimaturus eram, Bembe multis nominibus incomparabilis, ſi uir tantus, omni diſciplinarum genere perpolitus, hominis Batui literas, easq; tam neglecte ſcriptas æqui boni conſuluiſſes. At tu pro tua uix credibili humanitate, pro uitreis re-

posuisti gemmeas. Quid enim in illis tuis est, quod nõ smaragdis & unionibus tum preciosius sit, tum amabilius? Quàm niueus ibi candor ingenij? Quanta dictionis iucunditas, quanta sententiarum sanitas, quanta uerborũ proprietas, quanta structuræ concinnitas? Quàm mihi totus displicui tua legens? Quàm puduit me mei? Sed hæc missa facere satius est, nẽ quæ iudicio dicuntur, tribuantur affectui, quæ q̃ ex animi penitissimis recessibus proficiscũtur, existimentur tuis auribus dari, quod hoc à pleriscq; fieri soleat. Ad epistolam tuam uenio. Satis confidebam Carolum Vtenhouium claris maiorum suorum imaginibus, pręcipue parenti, uiro quo multis iam annis nihil habuit Flãdria, neq; doctius, neq; melius, responsurũ, atq; adeo sui simile futurum: iam enim mihi menses complures indolis haudquaquam pleiæ specimen egregiũ dederat. Is tamen non mihi solum, sed omnibus suis & charior & iucundior multo futurus est, quod tanti uiri iudicio sese probarit. Pulchrius ẽm est uni placuisse Roscio, quàm reliqui theatri totius plausum tulisse. Arbitror autem illum meminisse, quantopere amicorũ omnium de ipso expectationem auxerit, primum Italia, dein urbis Patauinæ celebritas, quam ut olim Atticam τῆς ἑλλάδ'ος ἑλλάδα quidam appellarunt, merito Italiam Italiæ quis dixerit: Postremo Petrus Bembus unicum huius æui decus, & præceptor & amicus. Significarat Iacobus Sadoletus, te nescio quid parum faustæ ualetudinis compulisse, ut Patauium te reciperes. Quæ si fuit πρόφασις, laudo prudentiam: sin aliter, gaudeo te leuatum ea molestia, quandoquidem epistola tua nihil habebat querimoniæ. Opto ut iste portus tuis sanctissimis studijs perpetuo tranquillus sit & amœnus. A proximis Sadoleti literis in quibus tui meminerat, nihil hactenus ab illo accepi. Migratio fuit in causa, quo rariores ab amicis literæ uenerint. Audierant enim migrasse nos, quò migrassemus incerti. Ad hæc oppidum hoc ut magis est in secessu longius à Rheno submotum, ita tum incelebrius est tum infrequentius quàm Basilea. Habet tamen academiam bene institutam magis quàm numerosam, & honestis ornatam uerius quàm multis discipulis. Inter professores iuris primæ celebritatis est Zasius, homo iam extremæ senectutis, sed ingenio uiuido, & inexhausta facundia. Nihil adhuc in Germania uidi hoc uno uel sanctius uel candidius. Nec quisquã adhuc exoritur, qui uideatur in illius locum ita successurus, ut Zasium non sint desideraturi, etiamsi sunt aliquot, quos non possis contemnere. Friget hic magis quàm uellem Theologia, sed ut spero, breui reflorescet: linguarum studium uiget mediocriter. Bonas disciplinas omnes sat feliciter excitat Henricus Glareanus. Vtinam is essem ornatissime Bembe, qui hoc ætatis in meis moribus quos tu uocas optimos, & uirtutis actione possim cõquiescere, saltem daretur in sacris literis tranquille consenescere. Sed homo non tantum ætatis, ut uere scribis, deuexæ, uerumetiam quotidie colluctans cum immanissimo carnifice calculo, subinde cogor in harenam gladiatoriam descendere, cum reti & falce Mirmillonem agere, imò quod est grauius cum omni bestiarum genere depugnare. Hactenus omne discrimen intra metum constitit, primum furentibus rusticis, quo tempore minimum abfuit, quin Basilea fuerit capta. Deinde quum sæuiret εἰκονομαχία, plebe armata in foro cum instructis bombardarũ ordinibus per noctes aliquot peruigilante. Sed tum in neminem sæuitum est, nisi in diuos ligneos ac saxeos. Terror oẽs habebat, quibus erat aliquid quod nollent perire. Hactenus bono numini debemus, quod in tot tumultibus, quum toties hinc atq; hinc ad arma procurreretur, gutta sanguinis non ceciderit. Scena rerum nunc inuertitur, uideo mira rerum molimina, quem exitum sit habitura fabula nescio. Si modo liceat effugere bellum in Germania, cętera deus aliquis fortasse benigna reducet in sedem uice, uerbis enim Horatianis libẽter utor. Quicquid officiorum impendisti in Vtenhouium, addam meo diario, tibiq; ius facio his

nominibus

nominibus appellandi Eraſmũ, ſi quid extiterit, in quo uoles uiciſſim experiri quãtum Bembi cauſa cupiã. Ego uero per quam lubens accipio, quod humaniſſime defers, ex amicitiæ legibus bonorũ omnium cõmunionem. Pollicerer in mea ius mutuum, ſi quid offerre poſſim, præter animum bene uolentem. Eum certe præſtabo optima fide, & ſi quid preterea poterũt noſtræ facultatulæ. Bene uale. Datum apud Friburgum Briſgoiæ VIII. Calend. Aprilis. Anno à Chriſto nato M. D. XXX.

IACOBVS SADOLETVS EPISCOPVS CARPENTORACTI ERASMO ROTERODAMO S.

ANnus eſt, aut eo plus, cum binas abs te literas accepi eodem exemplo: quarum quæ poſterius ſcriptæ erant, cum priores mihi redditæ fuiſſent, eſſet autem in illis tua de mea incolumitate & opportuno ad meam eccleſiã receptu gratulatio plena amiciſſimæ uoluntatis, recordor me tum ut noſter amor ferebat, diligenter tibi reſcripſiſſe. Poſt mihi allatæ ſunt alteræ unà cũ Pſalmo .lxxxv. & tua in illum interpretatione: cuius ego lectione mirifice fui delectatus, tuam q; illam admirabilem ingenij uim & copiam in eo etiam recognoui. Sed quo minus tibi de eo tum aliquid ſcriberem, fecit occupatio & par quidem meum ſtudiũ, quod ego in interpretando pſalmo. xciij. pauloante ſuſceperam, ſed neutiquam par tuæ facultas, neq; æqua ingenij aut doctrinæ uis, quæ me celeriter de eius curæ & laboris curriculo expeditum euolueret. Sum enim in hunc uſq; diem ut uides, retardatus. Sed poſtquam tandem confeciſſem, nihil habui antiquius, quàm hoc quicquid eſſet quod elucubraueram, continuo ad te mittere, χάλκεον ἀντὶ χρυσείου uidelicet: ſed tamen ſiue tibi id probaretur, ut ſingularem animi uoluptatem ex hominis omnium doctiſſimi ac mihi beneuolentis iudicio conſequerer: ſiue non probaretur, præceptis tuis atq; doctrina in poſterum melior fierem: quorum utrum malim, & utrum mihi utilius ſit, nõ queo ſatis cõſtituere: approbatio forſitan iucundior ſit, ſi ſit ab amico fideli eruditoq; profecta: caſtigatio certe utilior. Itaque te uehementer oro atq; rogo, ut ſi quid duxeris reprehendẽdum, aut quoniam erunt opinor multa, quæ tibi homini acutiſſimo minus placebunt, ne parcas agere mecum ingenue ac libere, fidemq; amicitiæ quam perſancte coli à te non dubito, in hac re mihi potiſſimum exhibeas: hocq; ſic ſtatuas, tuum mihi iudicium in utramuis partem gratum expectatumq; futurum eſſe. Ego de tuo pſalmo, ac de cæteris quę in hoc genere plura præclaraq; edidiſti, & quotidie edis, cum ingeniũ & copiam & facilitatem tuam mirari ſoleo, tum animi uirtutem atq; cõſtantiam, quod plurimis æmulis tuæ laudi obtrectantibus, ab inſtituto labore minime deterreris, ſtudesq; quotidie magis ut bonis & literis & moribus per te conſulatur: in quo tua ſcientia et egregia uoluntas maximis mihi uidetur laudibus ad cœlum extollenda. Vnum eſt quod optarim: quid enim me prohibet idem officium amici præſtare tibi, quod ego abs te requiro? Vnum eſt, inquam, quod uelim, idq; tibi uehemẽter ſuadeam, ut à contentionibus omnibus te auoces, & aliqua in ſcribendo prætermittas: quæ ut non ſint à uera pietate abhorrentia, contra tamẽ inueteratas populi opiniones, & quorũdam hominũ ſiue etiam ordinum ſtudia tendunt: quibus ſe non opponere, maioris arbitror fore grauitatis. Quid enim te cogit hominem in omni doctrina ſummum, cum longe imparibus quaſi altercando & iurgijs concertare, cum præſertim paratus ſacrarum literarũ campus ſit, late in omnem partem patens, ubi te ad tuum arbitrium exercere & omnes in eo ingenij tui diuitias explicare poſſis, quas admirẽtur homines, non de quibus litem tibi intendant? Equidẽ quicquid ſcribo, ſcribo animo optimo atq; amiciſſimo, & quod maiorem in modũ cupio tantam uirtutem quanta in te eſt, ab omni non dicam labe, ſed ſuſpicione labis etiam apud uulgus alienam eſſe.

uerum hæc tu melius. Nos mi Eraſme, quantum poſſumus uterq; pro uirili parte feramus opem labenti fidei Chriſtianæ, quæ ut uides ipſe, non ſolum uitiorum in hoc tempore dominatu & multitudine facinoroſorum hominum quibus omnia redundant, ſed externis domeſticiſq; hoſtibus, omnibusq; & bellorum et impietatis machinis oppugnat̃, eſtq; ad cadendũ procliuis, niſi eam qui unus omnia poteſt, fulſerit & ſuſtinuerit Deus: cui quidem Deo ac domino ſi gratiam eam quam debemus conabimur referre, & beatam ipſi inueniemus uitam, & cæteris noſter non inutilis erit neq; infructuoſus labor. Quanq̃ tu quidẽ hortatione non indiges, nos ut locũ noſtrũ ne deſeramus, debemus magis prouidere. ſed de his ſatis. Tu ualebis, nos q; diliges, tibiq; perſuadebis eſſe nobis maxime curæ & quietem & dignitatem tuam. Vale etiam atq; etiam mi Eraſme. Amorbachio noſtro plurimã ſalutem, à quo crebriores literas deſidero. Carpentoracti pridie Idus Februarij. M. D. XXX.

ERASMVS ROTEROD. IACOBO SADOLETO S.

TOT epiſtolarum acerui ex omnibus mundi plagis ad me deferũtur, præſertim bis in anno, ſub mercatũ Francfordienſem uernum, rurſus ſub autumnalem, ut hiſce temporibus ægre tuear ualetudinem, dum pleriſq; reſcribere conor: nam omnibus qui poſſim? Atq; inter has ſunt quædam nugales ac friuolæ loquacitatis, quædam amarulentæ, quædam plurimum & uoluptatis adferunt & ſolatij. In his tamen poſtremi generis uix ulla fuit, ſi quid mihi credis, tua gratior, inſigne pręſulum huius æui decus. Eam igitur à turba ſemotam alicubi ſepoſui, per ocium accuratius relegendam. Sed quod non raro nobis uſu uenit, hoc ipſo mihi perijt, quod anxie ſtuduerim ne periret, quanquam opinor aliquãdo ad manum non quærenti uenturam, & repertum iri quæ nunc inueniri non poteſt. Hoc præfari uiſum eſt, quo mihi ſis æquior, ſi forte ad elegantiſſimas tuas literas parum appoſite reſpondere uidebor. Pro pſalmo tuo uix dici poſſit, quãtopere te amem, qui me legentem ſic affecit, ut exordio guſtato non conquieuerim, donec ἀπνευσὶ ad calcem perueniſſem. Ea lectione factus ſum primum alacrior, dein aduerſus quorundam improbiſſimos tumultus animoſior, poſtremo ad pietatis ſtudium inflammatior, & omnino me ipſo melior. Manifeſto ſenſi ſpiritus energiam per te loquentis. Non ſic inflammares, niſi flagrares ipſe: non ſic raperes, niſi raptus afflatu numinis. Haud quaquam hęc dantur auribus tuis ornatiſſime præſul, nec enim te tibi laudo, ſed numinis eximiam benignitatem in te ueneror atque exoſculor. Quin et in ſpem bonam erigor fore, ut aliquãdo Chriſtus noſtri miſertus, eccleſiam ſuam magna ex parte conuulſam priſtino uigori reſtituat, poſteaq; tales exoriuntur epiſcopi. Equidem ſic exiſtimo, unicum hoc tuum cõmentarium ſi quis attente legat ediſcatq;, ad omnem uitam recte pieq; inſtituendam ſufficere. Nam quæ tandem pars eſt Chriſtianæ philoſophiæ quam ibi non accuratiſſime tractas? Quàm ualidis rationũ machinis retundis impios, qui negant eſſe deum, item qui negant illi curæ eſſe res mortalium? Quo fulmine territas eos qui ſpreto numine prauis animi cupiditatibus obſequuntur? Deinde qua moderatione laudas philoſophorũ de beate uiuendo præcepta, ſed ita ut non patiaris nos illic iacere felicitatis ancoram. Rurſus cõmonſtrato quid Iudæis etiã defuerit, adducis nos ad Chriſtũ unicum ueræ felicitatis autorem. Quàm graphice ponis ob oculos, qui ſe totos dediderũt impietati, etiam in ſumma felicitate eſſe infeliciſſimos, Contrà qui ſe plena fiducia Chriſto tradiderunt, in ſummis quoq; cruciatibus ac mortib⁹ eſſe feliciſſimos. Quàm uero Chriſtiane omnem uindictę libidinem penitus ex animis hominũ reuellis? Quanta manſuetudine nullum quamuis ſceleroſum ſubmoues à ſpe ueniæ, ſed deploratiſſimis etiam oſtendis uiam qua poſſint cũ deo redire in gratiam. Ad hæc q; prudẽter temperata libertate,

declaras

declaras quanto in discrimine uersentur principes & episcopi, si contempta pietate numinis, neglectis populi cõmodis, ad tyrãnidem animũ adjciant. In his nimirum dogmatibus constat totius Christianæ religionis tum prora tũ puppis, quod aiunt: quę tu tanta perspicuitate, tanta copia, tanta deniq; ἐνώσει differis, exprimis, inculcas, ut lector nõ oscitabundus facile deprehendat tibi ista nõ in primoribus nasci labris, sed ab intimis animi recessibus proficisci. Iam & scripturarũ testimonia tũ crebro tum apte & in loco adhibita, faciunt ut te credam in adytis cœlestis philosophiæ nec obiter nec oscitanter uersari. Quid enim nunc prædicem illum uere Tullianum orationis fluxum, ubiq; purum, limpidum, uberem & amœnũ? Quoties optaui, ut cœlestis illa sapientia talem aliquẽ nancisceretur oratorem, qualis Cicero contigit uel causis forensibus, uel Gręcorum explicandæ philosophiæ, in quo syncera pietas animi, cũ eloquendi uirtutibus paria faceret? Eum tu nobis si quis alius, ut præstare cœpisti feliciter, ita constanter pręstaturus uideris. Quod apostoli Christi mysteria impolitiore uerborũ tectorio nobis prodiderunt, peculiarem habet causam, nimirum ne quidtum eius laudis, quę tota numini debebatur, hominũ uiribus decideretur. Nunc alia est ratio. Nonnulli Theologiã immodico prophanæ philosophiæ admixtu, propemodum obruerunt, ac uerborũ sordibus nõnihil conspurcarunt: tu sic aspergis subinde quędam è philosophorũ libris, ut ancillentur pietati nõ imperent, condiant non uitient, illustrent non obscurent. Sic adhibes feliciſſimũ orationis nitorem, ut ueluti morigera pedissequa seruiat religioni, nec sese ostentet, sed reginæ suæ maiestatem officio suo commendet. Quantũ pietatis habent illæ tuę frequentes apostrophæ, nunc ad deum, nunc ad leges diuinas? Ad hęc uehementer arrisit mira quædam dexteritas in cõcinnandis uersiculis, quod tu facis tã molliter, ut nõ linum quod aiunt lino connecti, sed naturali perpetuoq; fluxu sermo totus sibi cohærere uideatur. Super omnia uero me delectauit ista singularis ingenij tui sanitas, quę nihil usquam hiulcum, aut abruptum, aut inconcinnũ, aut frustra repetitũ, aut alieno loco positum residere patitur. Hæ nimirũ sunt dotes animi puri, nullisq; prauarum cupiditatũ tumultibus irrequieti, in qualibus cœlestis ille spiritus gaudet uim suam exerere. Quare præsul egregie non dubito quin alij qui largissimã Christi in te benignitatem rectius me perspiciunt, sint tibi gratias uberiores acturi, ego certe meo nomine me tibi profiteor semperq; profitebor debere maximas. Decem Nestores optabat Agamemnon, nos ardentioribus uotis decem Sadoletos optamus ecclesiæ Christi. Nec desperamus id fore, neq; enim est abbreuiata manus domini, nec intotum abiecit uiscera misericordiæ, utcunq; nos ad tempus destituisse uideatur, quo suos electos redderet probatiores. Quod opellam meam in psalmum. lxxxv. nõ improbas, non minus amo candorem istum tuum singularem, & admiror incomparabilem eruditionem. Et antea mihi totus ibi displicebam, uerum ubi meam inconditam balbutiem cum ista tua facundissima sapientia confero, liberet ad laqueum confugere, nisi hoc essem ingenio, ut uoluptati sit in honestis atq; utilibus à quampluribus superari. Atq; utinam ea esset studiorum felicitas, ut Erasmus aut rideretur Myrorum ultimus, aut cum Megarensibus nullo loco neq; numero haberetur. Nos si quid istiusmodi damus, alieno fere damus affectui, idq; obiter, uelut à grauioribus operis redintegrantes animi uigorem. Nemini procliue sit æstimare, quãtum sudoris fuerit in recognoscendis ac locupletandis Adagijs, quantum in emaculando Seneca, qui magno mei nominis dedecore fuerat antea per indiligentes amicos me absente æditus, quantum in Augustino, nunc in Chrysostomo, quantum in uertendis Græcis, & in conferendis quæ uertimus, quantum tædij in recognoscendis nostris, quæ subinde reuocantur ad prælum, ut omittam alios minutos libellos, quos identidem extorquent à nobis amici. Imo nihil est tam sordidum, quod mihi non

obtrudat officina Frobeniana, nimium familiariter abutens ingenij mei facilitate. Et hoc mihi uitium est maximum, cuius nec ipse mihi gratiam facere possum. Nihil pario, sed aborsu eijcio fętus ingenij omnes. Isti commentario quem dignatus es legere, uix dati sunt dies septem, nec hi tamen toti, nec ab integro, sed à defatigato. Vbi sex aut septem præla feruent, non licet uni uacare negocio. Et si quid talium est libellorum, ferè incidit sub nundinarum tempus, quum in officina tumultus plena sunt omnia. Quæres in causa est, ut multis ferè mendis obliti prodeant. Effugi quidem Basileam, sed me uelut umbra corpus sequũtur officinæ negocia. Eoq; sum ingenio natus, ut ægre quicquam amicis pernegare ualeam, quanquam hic animus iampridem quietem optat, ætas ac ualetudo etiam flagitat ocium. Pro tuo gemmeo libello mitto commentariolum in Psalmum .xxij. uere quod abs te modeste dictum est, χρύσεα χαλκείοις repensans. Eum mihi quidem ipse non desumpsi, sed à quodam ex aulę Britannicæ designatus est. Citas Hesychium quendam, cui primas in hoc genere tribuere uideris. Is hactenus mihi prorsus fuit ignotus. Hilarium habemus sed mutilum, quem arbitror ex Origenis commentarijs hausisse ferè quæ nobis tradit, qui tum mihi quũ enarrarem Psalmum .lxxxv. nescio quo pacto non uenit in mentem, quemadmodũ nec Pomerianus, non quod omnino fidam huiusmodi scriptoribus, sed quod sapienti quæuis occasio præstet interdum ut fiat sapientior. Hieronymi commentarios in Psalmorum opus habemus indigne contaminatos ab improbissimo quopiam impostore, cuius næniæ sunt & in eum psalmum tuum. Augustinus non indiligenter tractauit hanc prouinciam, nisi quod permulta dare cogitur auribus populi quem instituebat, occupato doctoq; lectori non admodum necessaria, nonnunquam & onerosa. In quosdam psalmos non scripsit commentariũ, sed breuissima modo scholia, quod accidit in hoc psalmo quem nunc mitto. Cassiodorus maluit omnia scribere quomodocunq;, cꝫ pauca exacte. Extant & Brunonis in psalmos commentarioli, pietate uerius cꝫ eruditione commendabiles. Arnobij enarratio nonnunquam ipso breuior est psalmo. Quin officit interdum scripturiẽti tam uaria lectio. In hoc psalmo præter Hieronymum & Augustini scholia nihil à quoquã mutuati sumus. In priore psalmo quem nobis dedisti, uideo te non parum multa hausisse ex lucubrationibus Ambrosianis. Non semel rogatus sum quum ab alijs tum ab Anglorum rege, ut in omnes psalmos æderem commentarios, sed deterrebant me quum alia multa, tum illa duo potissimum, quod uiderem hoc argumentum uix posse pro dignitate tractari, nisi quis calleat Hebræorum literas, atque etiam antiquitates, partim quod uerebar ne turba commentariorum obscuraretur sermo propheticus citius cꝫ illustraretur. Quis enim nõ scripsit in psalmos? Et quin quagesimus ille, in quo nobis primum dedisti specimen facundissimæ tuæ pietatis, à quo non contrectatus est? Quanquam tu superiores omnes longo post te interuallo reliquisti. Porro quum ea sit tua autoritas, dignitas ac sanctitas, ut abs te ęquo animo non solum amicam admonitionem, uerum et colaphum accipere possim: tamen præstaturus præcipuum amicitiæ officium, quanta uteris προθεραπέυσει, non alia lege tibi sumens admonendi ius, nisi mihi id ex æquo facias mutuum. Ego uero uir incomparabilis tales heroas suspicere soleo, non admonere. Displicere tibi uidetur, quod in scriptis meis taxem ordines, aut uiros dignitate præminentes: nisi tamen me fallit memoria, nam uerba tua tũ in transcursu lecta, non satis exacte teneo: quid mihi excíderit alicubi nescio, certe nunquã fuit animus gentem ullam aut ordinem scripto lędere: nisi forte lædit ordinem, qui monet ea quibus ordini sua cuiq; paratur & augetur tum autoritas tum dignitas. Velut ordinis Theologici dignitas est, ut prætermissis friuolis argutationibus diuinas literas sobrie tractent ac reuerẽter, utq; mores professioni respondeãt. Monastici ordinis dignitas est, ut uere mortificatis

tificatis affectibus humanis, declarent se syncera pietate uulgus antecedere. Principum dignitas est, ut q̄ longissime absint à tyrannide. Episcoporum dignitas, ut ad Christi et apostolorū uirtutes q̄ proxime accedant. Hæc qui monet, taxans eos qui dedecorant professionem suam, adeo mea quidem sententia, non lædit ordinem, ut ordinis honori cōmodis'q; uehemēter consulat. Ac ne quis quod in degeneres aliquot dictum est, rapiat in omnium contumeliam, frequenter obtestor lectorem, ne quod in malos paucos dicitur, existimet ad omnes pertinere. At in hoc fortasse pecco, quod id facio, uel nimium crebro, uel æquo uehementius. Verū huius culpę partem in diuinos libros possim reijcere, qui nusq̄ non ministrāt occasionem talia monendi. Et si ego pecco nimium sedulus & acer admonitor, illi multo magis peccant, qui sic moniti adeo non corriguntur, ut indies uergant in deterius, nec se purgare, sed monitorem conspurcare studio habent. Nusquam tamen attingo flagitiorum mysteria, quæ populus in illos decantat. Porrò quibus technis, quibus imposturis, q̄ impudentibus mendacijs, q̄ scurrilibus libellis me nunquam cessent impetere, si tibi ordiar recensere, historia fuerit indigna tuis castissimis auribus, cuius & ego nō illibenter obliuiscor. Videmus ac dolemus, quod tu quoq; deploras ecclesiam undique collapsam: sed in confesso est, nullum esse genus hominum corruptius hodie quàm monachos. Augustinus dicit in monasterijs aut rectissime uiui, aut quàm periculosissime errari. Posterius hoc nunc perspicit ac suspirat orbis. Nec illi confugiunt ad uitæ correctionem, sed ad fucos ac tyrannidem, tanta q̄ multos habet cæcitas, ut quum experiantur se suis molitionibus nihil aliud assequi, q̄ quod indies optimo cuique redduntur magis ac magis inuisi, tamen nullum faciant tumultuandi finem. Scripsi multas apologias fateor, sed bene habet, quod nullam inuectiuam. Multorum tamen petulantissimis libellis nō respondi, & quibus respondi, eos omnes multis parasangis modestia, ciuilitate q̄ superaui. Et tamen lacessito solet ignoscipotius quàm lacessenti. Quū adolescens uersarer in bonis literis, illud uehementer amabam in Nasone, quod illius stilus nullius unquam cruore maduisset, id'q; statueram imitari, diu'q; in eo perstiti proposito, licet à multis odiose lacessitus, donec ad pietatis calumniam est uentum, ibi mutus esse nec debui, nec potui. Nec alia res peius habet quosdam monachos, q̄ quod in ipsorum gratiam nolim esse hæreticus. Iam si narrem, quas amarulentias patiar ab his qui latitant sub Euangelij falso titulo, nec tibi nec cuiquam facturus sim fidem: at ego qui sentio, nec mortem arbitror acerbiorem: quum'q; mihi ab altera parte permulti tam malam referant gratiam, tamen constanter ad unum Christum spectans, nunquam à recto dimoueri potui, uel decies emori paratus citius, q̄ ad ullam me sectam deflectam ab ecclesiæ consortio. Atq; ut fateor inter hos esse nonnullos pia mente præditos, ita manifestum est, huius miserrimæ fabulę qua nūc laborat orbis, & protasin & epitasin à quorundam eius ordinis improbitate fuisse profectam: atq; adeo nōnihil uereor, ne per eosdem stet, quo minus cōtingat catastrophe qualem uolumus. Olim Dominicani quidam intolerabili impudentia concionabātur de indulgentijs, Lutherus suo more reclamauit. Hæc erat πρότασις. Respondit odiose Prieras, odiosius se defendit alter. Iacobus Hogheſtratus ueluti campum quæstus & gloriæ nactus, nusquā nō tumultuabatur. Nicolaus Ecmondanus in Brabantia seditiose uociferabatur apud populum: quisquis bene monebat, is protinus audiebat, fautor hæreticorum. Hæc erat ἐπίτασις. Si initio Martinus fuisset neglectus, aut non extitisset hoc incendium, aut certe non tam late fuisset diuagatum. Nunc demum prosiliunt in harenam e' sodalitio Franciscanorū quidam, obseruantiæ titulo cōmendati uulgo. Quod ad me quidem attinet, optarim quouis modo sopitam hanc ecclesiæ pestem: sed ut actionem instituunt, uereor ne nihil aliud q̄ malum exacerbent. Quos tumultus excitarunt

in Hiſpania, cõtemptis etiam principibus? Nunc iuuenes duo ſcribunt libellos ſimpliciter ſcurriles, contra Cæſaris ædictum, & archiepiſcopi Hiſpalenſis autoritatẽ. Oportet, inquiunt, obedire deo magis q̃ hominibus. Sed iſta cantio eſt autoritati prẽſulum ac ſummi pontificis oppedentium. Apud ſenatum Pariſienſem, apud epiſcopos Anglię, in aula Cæſaris Brabantica quoties moliti ſunt, ut libri Eraſmi uetarentur uendi? Vbiq; repererunt aureis ſurdas. Habent Louanij iuuenem quendam etiamnum imberbem, qui quicquid audet in ſuorum ſodaliũ conuiuio garrire, non ueretur cõmittere literis, & ſingulis menſibus effutit nobis nouos libellos: quum q̃ rideatur ab omnibus, tamen ſibi diſplicere non poteſt, tanta eſt philautia. Aduerſus huiuſmodi nęnias decreui in poſterum pertinax ſilentiũ, quando nihil eſt inuictius indocta garrulitate. Leuius eſſet certamẽ cum quouis Cardinali, q̃ cum quoquam illius ſodalitatis gregario. Cæſaris aduẽtus quid allaturus ſit neſcio. Dominus nutu ſuo poteſt ſcenam rerum humanarũ ſubito in diuerſum uertere. Id ni faciat, nihil uideo niſi cruentos tumultus in Germania. Populus ferè & agricolæ aut lutheriſſant, aut odio ſacerdotum inhiant ad omnem occaſionem. Iam Eccleſiaſtici cordatiores non minus metuunt ſibi à principibus ac militibus, q̃ ab hæreticis. Adde quod ſub hoc Euãgelij nomine latitant quidam deploratæ maliciæ, & ad omne facinus parati homines. Duæ quædam res nonnullam præbent ſpem: una eſt, genius Caroli Cæſaris mire felix: altera eſt, quod iſti in dogmatibus ſuis inter ſe diſſentiũt. Deme qui hic inter ſacrum & ſaxum ſto, uiderit dominus. Nullum portum mihi tranquillum uideo, & corpuſculũ hoc non tantum ſenio fractum iamdudum abhorret à uertendo ſolo. Equidem uideo quanta cautione, quanta'q; dexteritate ſermonẽ temperas, quoties monarchas aut epiſcopos admones officij ſui. Verũ hoc eſt iſtius felicißimi ingenij peculiare donum: & quanq̃ ſapiens ac moderata admonitio probum lectorem magnopere delectat, tamen improbos & altum uitijs indormientes nõ perinde excitat. Tametſi hac in re nolim prorſus eſſe tergiuerſator, agnoſco nonnullam culpam meam: abuſus ſum illius trãquillitate ſeculi, morem geſſi ſtudijs et applauſibus amicorum, & utinã liceret omnia ab integro retexere. Non ſuſpicabar hominũ ingenijs tantum moroſæ teneritudinis ineſſe. Sed interim molior efficere, ne quem offendam, præſertim in his operibus quæ tractant pietatis ac fidei negociũ, tuæ moderationis exemplar mihi proponens. Conijcio uero iſtos tuũ quoque placidiſſimũ ingenium tentaſſe ſuis querelis. Quo enim non penetrant? Cuius nõ ſolicitant animum? Cuius aures nõ fatigant ſuis delationibus, plerunq; uaniſſimis? Vtinam dominus det illis mentem meliorem, ut mutatis in diuerſum moribus præſtent ſeſe tales orbi, quales haberi uolũt. Verum ipſe iamdudum de his nimium multa apud te. Illud certo ſciat tua charitas, mihi tuam admonitionem aliquanto gratiorem fuiſſe q̃ laudes tuas, etiamſi non ſum neſcius utrunq; ab animo ſyncero beneuolo'q; proficiſci. Bene Vale. Aliquot errata typographi notaui in ſcheda, de quibus tute ſtatues quid fieri uelis. Friburgi Briſgoiæ. M. D. XXIX.

IACOBVS SADOLETVS ERASMO ROT. S.

TVum de meo pſalmo iudicium tanquam profectum ab homine omnium doctiſſimo, & uiro maximo, magna quidem animum meum uoluptate affecit. Sed cum tui nominis auctoritas mi Eraſme eiuſmodi ſit, ut breuis tua commendatio pro inſigni laude cæterorum omnium ualere debeat, facile perſpexi, quo plus tu in laudes dixiſti meas, quàm quod mei ingenij tenuitas ſuſtinere poſſet, totum id abs te amori in me tuo fuiſſe datum, & tuæ præſtanti eximiæ'q; humanitati, in qua tu mihi uideris iam uelle ſicut in optimarum artium tractatione & ſciẽtia omnibus nobis antecellere: nanq; ſi meus frater germanus eſſes, qui potuiſti magis

magis aut ostendere lætitiam animi tui, quã ex mei ingenioli partu, qualicunq; illo quidem, percepisti: aut tuam erga me beneuolentiam declararet: in quo ipso utiq; apparet & extat quædam rara omnibus seculis naturæ tuę probitas, & singularis integritas, nullo infuscata obtrectandi studio, quod tamen est ueræ atq; perfectæ uirtutis proprium: cuius qui compotes sunt, cum ipsi sibi confidãt, alienas etiam solent uirtutes exoscularí. Sed ego me indignũ tuo isto de me testimonio arbitratus sum, si tibi concesserο ut tu in me amando priores parteis feras: nõ enim aut ita tardo ingenio sum natus, ut nõ cognoscam quid requirant præstantissimæ uirtutes tuæ: aut ita ingrato, ut tuæ optimæ erga me uoluntati non parem gratiam reddam: sed quoniam hæc factis melius præstanda sunt q; uerbis, sit hactenus de eis dictũ. Psalmum tuum mihi redditũ cum in prandio essem, & aliquot graues uiri mecum unà essent, auide perlegi, curriculo uidelicet: nec potui illum retinere quin mihi extorquerẽtur è manibus, tanta est cunctorum legendi tua cupiditas. Itaque expecto dum eum deintegro legam. Quantum tamen ex illo primo aspectu percipere potui, duæ mes res in eo eximie delectauerunt: una quod ubique ferè & omnibus in locis stimulis quibusdam pietatis ac religionis ex uerbis tuis animũ meum pertentari sentiebam, ita dulcis & pia & omneis deliniẽs sensus fluebat oratio: altera quod tu certe in hoc genere factus es constantior aduersus molestissimas hominum ineptorum garrulitates, non tam refutandas, q; contemnendas: quod ego te prioribus literis eũ hortabar, iccirco mi Erasme faciebam, quod tuæ me dignitatis studium & cura stimulabat: quanquam enim ut tu scribis, altius uitijs indormientes inclamare asperius aliquando sit necesse: tamen id ita agere, ut non à stomacho, neque ab iracundia illiusmodi reprehensio profecta esse uideatur, si cuiquam conuenit, conuenit profecto tibi: difficile omnino est uel potius inusitatũ, non bili incendi, cum odiose sunt qui obstrepant, & quo ipsi aliquid sibi inanis gloriolæ aucupentur, inutilibus disputationibus tanquã gladiatorijs libellis lacessunt amplissimos uiros. Sed ad tuam cæterarum laudum omnium excellentiam, hanc quoq; accedere decorum tibi est, ut eos uel negligas, uel si obiurgandi sunt, paterno quodam admoneas affectu, quando tu quidem in sacris literis ad antiquũ decorem splendorem q; reuocandis, & omnium nostrum & huius seculi es pater. Illud item censuerim, cum iam recepta uulgo quædam sint, quę suapte natura ita redolent pietatem, ut solum in eis quod nimium est subaccusari posse uideatur, sicut est quorundam sanctorum ueneratio, & picturarum crebritas, non esse popularibus studijs obsistendum, non quin multo sit rectius figere in Christo cogitationũ summam, sed neq; ista à fide nostra aliena sunt, & non queunt omnes ad sublimiora illa facile ascendere. Hæc ego temere scribo fortasse, & parũ considerans quis ad quem, sed ignosce mi Erasme audaciæ meæ, summus quidam et incredibilis meus in te amor me cogit uti libertate in amicitia, propè ad temeritatem. Quãquam tu quidem pro tua summa benignitate in bonã partem accipis: sed ego ne sim saluus, si quicquam aliud specto, nisi quietem, & dignitatem, & amplitudinem tuam, quam semper tutatus sum, & quantum in me fuit, etiam asfectam præmijs atq; ornatam esse uolui. Itaq; recordor, me quondam pontifici maximo ei qui nunc est, suasorem fuisse, ut tibi insigne sacerdotium quoddam in Germania traderet: quod ille, qua bonitate est & studio erga homines doctos, erat facturus, nisi certi contradixissent, hac q; aduersus te nixi calumnia, bonũ animũ pontificis in aliam uertissent partem. Stunicam aũt hominem doctum meditantem adுersus te ἀντιφωνήματα quædam, autoritate & precibus ab ea uoluntate sententia q; deduxi, nec quoad ego mansi Romę, quicquã ille in te scribere est ausus. Quid ergo est? Ego quod in hoc recente psalmo duarum illarũ rerum quas notaui, alteram uideo penitus prętermissam, alteram leuissime tactam, mirifice sum tua moderatione animi

animi & prudentia delectatus: nam cætera tua in illo & admirãda nec noua, oratio-nis splendor, grauitas, copia, rerũ quæ tractantur in eo uarietas, & dignitas, & quidem triplicata serie, ut perspicuum sit orationis thesauros non exhauriri apud te ueluti collectos, sed semper scatere. Atq; ego cum meum dicendi genus comparo cum tuo, aspicio planè me serpere humi, & nimis familiariter illa diuina tradere, quæ tu μυσικώτερα esse facis, & ea in sua grauitate ueneratione'q; conseruas. Et tamen quicquid sumus ego atq; tu, à deo ambo totũ obtinemus, cui gratiam & laudem perpetuum'q; obsequiũ præstare sumus obstricti. De Hesychio quod quæris, habueram psalmorum Græcorũ librum uetustate insignem, in eo proœmium Hesychij lucubrante scriptũ in eam sententiam, ut probare conaretur omnes psalmos Dauidis esse. Is liber mihi cum cęteris omnibus periit: reliqua sunt apud me Greca collectanea in psalmos incerto auctore, scripta non tã copiosè q; eleganter, quibus præcipue utor: in ijs interdum citatur Hesychius. Sed ego cum illa legi, & latinorum aliquos de eorum numero, quos prædicas, nõ tam illorum explanationem ualde sequens, q; spiritui sancto permittens me totum, feror quacunq; me ille uocat: cuius utinam ut spiritualis in me homo, sic etiam corporalis templum idoneũ esse posset. Deus autem omnium potens, qui tibi labores & solicitudines, & affectam ualitudinem dat, quis scit an maiore tuo bono id faciat, q; si quietem tibi & molle ocium præberet? Equidem confido ita esse, nihil q; mihi laboriosa sollicita'q; uita, sed quę cum deo prorsus coniuncta sit, uidetur re uera fieri posse felicius. Germanicæ nationi bene sit, amo enim gentem totã, dignissimam'q; arbitror, quæ in uera tuenda, ac propaganda religione suorum maiorum gloriam consequatur: cui qui obsunt, & contaminant patriæ suæ decus, ad bonam eos mentem conuertat deus. Tuæ in psalmum meum annotationes mihi gratissimę. Itaq; cogito magnam partem illorũ mendorum tollere: nam aliqua sunt quæ autoribus optimis nituntur. De me mi Erasme sic tibi persuadeas uolo, quanq; ego tenuis sum, & magnis à fortuna detrimẽtis mulctatus, nihil tamen me habere, quod non tuum ęque uelim esse ac meum: neq; in hoc solum, sed in omni tua dignitate atq; fama conseruanda hoc sum animo, ut et sponte per me ipse, & abs te monitus, summam tibi fidem in amicitia ac beneuolentiam semper sim præstaturus. Vale. XV. Calen. Octob. M. D. XXX. Carpentoracti.

ERASMVS ROT. ALFONSO VALDESIO S. D.

AVdio te subnotare cessationem meam, quod uicinior factus & breuius scribam & rarius. Mihi sanè non ingratum est, hac in parte meum officium abs te requiri. Nam & hoc argumentum est animi bene cupientis Erasmo. Sed illud meæ fidei credas uelim, nullum esse mortalium cuius literas libentius accipiam quàm tuas, nec ad quem meas dem libentius. Verum quum nihil esset, quod uel de ualetudine mea, uel de rerum mearum conditione tibi uoluptati futurũ scribere possem, puduit istam candidissimã indolem tuam inuidiosis querimonijs amplius onerare. Qua de re an te aliquando meis literis admonuerim nescio, certe constituerã admonere. Proinde quũ ex tuis scriptis intelligerem ac magnopere gauderem tibi propositũ esse, in totũ ab odiosis illis abstinere, quid superarat quod ad te scriberem, nisi te mihi tuo merito esse charissimum, me'q; tibi uicissim plurimis maximis'q; nominibus obligatissimũ esse? quod utriq; nostrũ perspectius est, q; ut ulla testificatione sit opus. Idem arbitror in causa fuisse, ut tuæ quoq; literæ huc uenerint, & multo rarius, & solito breuiores, aliquanto etiam ut mihi quidem uisum est, languidiores. Mihi quo' fata trahunt retrahunt'q; sequendum est. Tuum istud ingenium gratiarum domicilium, indignum est quod ulla inuidia molestia'ue contaminetur. Ex illius nigri colloquio, de quo te literis admonueram, quid audieris facile

ris facile diuino, nec tamen arbitror hinc quicquam tuæ in me beneuolentiæ decessisse. Quod si quid de meo in te animo dubitas, uerbulo duntaxat significa, quo genere officij queam tibi gratum facere, nisi id summa cum alacritate protinus aggrediar, nomen meum inter homines ingratos scribito. Lucubrationem aliquam iam pridem tibi dicassem: sed hoc officij genere quidam delectantur, quidam offenduntur, idque nonnunquam mihi longe charissimis ob id non præsto, ne quid illis conflem inuidiæ. Quid faciam? Pecunias adeo non recipis, ut quod debetur offerenti, tu duplum offeras. Mittam libros? Ne hoc quidem licet quoad agis istam fabulam plusquam motoriam. Cõmendatione mea non eges, quod mihi quidem periucundum est, & tuo merito fieri gaudeo. Nec addubito quin tui mores, Cæsaris q; fauor sint aliquando te ad summam dignitatem prouecturi. Iam quid agatur in aula, nec est secretariorũ scribere, nec mei candoris ex his uelle cognoscere. Superest igitur Alphonse charissime, ut aut mihi credas me eo esse in te animo, quo par est esse gratum hominem in optime meritum: aut tu mihi suppedites occasionem, qua mei in te animi periculum facias. Hæc scripsi incertus, an hæc epistola sit ad te peruentura. Pro tuo in Liuinum meũ fauore gratiam habeo. Nos apostemate rupto meliuscule ualemus, gratia Christo. Aestas nobis fuit sterilis, hyeme nõnihil abortiuimus, præter cætera uero sex libros apophthegmatũ, & commentariolum in psalmum. xxxiij. Hoc fuit à morbo paulatim reualescentis præludium, nunc accingimur ad grauiora, tantum ut liceat uidere Germaniam à bellis quietam. Bene uale amicorũ fidissime. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, anno à Christo nato M. D. xxxi.

ERASMVS ROTEROD. NICOLAO MALLARIO S. D.

NAe tu mihi Mallari doctissime Comicotragœdiam non tam legendam exhibuisti, quam spectandam ob oculos posuisti: quæ quidem ut mihi geminam peperit uoluptatem, ita dolorem quoq; duplicem conciliauit. Primum enim delectauit animum meum epistola tua tam copiosa, uerbis optimis adfabre structa, Græcarum uocum emblematis subinde picturata, postremo lepidissimis salibus hilaritatem animi tui declarans: qua re factum est, ut ipse quoque iuxta Pauli præceptum, cum amico gaudente gauderem, & cum ridente frontem exporrigerem. Deinde magna sum affectus lætitia, quod Christus Opt. Max. ueluti de machina apparens, lætum exitũ addiderit turbulentæ fabulę. Rursus indolui, quod quum ex meo colloquio nihil aut minimum fructus retuleris: tum enim cœperat adrepere morbus, alioqui nec alias in eiusmodi congressibus admodum officioso, idq; propter occupationes ac ualetudinem potius quàm ob naturæ uicium: tamen cares tibi tantum conflauerit inuidiæ, cuius singularis ingenij candor illud promerebatur, ut nullis excetræ sibilis afflaretur unquam. Nam de me leue detrimentum est, & si his fatis natus sum, ut bene faciens male audiam, non oportet θυμαχεῖν. Viuit, uidetq; nos noster agonothetes, unde brabeum expectamus, si gnauiter certauerimus. Quod si tibi ista contumelia ob Christi nomen fuisset illata, non solũ non deplorarem uicem tuam, uerũetiam inter beatos ponerem nomen Mallarij. Nunc si quid mea causa molesti accidat candidis amicis, acerbius fero, q; atroces in meum ipsius caput debacchationes. Illud tamen mihi longe grauius dolet, quod istorum intemperijs, & publica Christianorum pax tranquillitasq; rumpitur, & malorum improbitas odio grauat etiam illos, qui in probatis ordinibus ueram fectantur religionem. Quum enim columbina simplicitas ac germana syncera'que pietas penes Franciscanos obseruantium titulo gratiosos potissimum residere uideretur, nullo ex grege prosiliunt, qui indoctius, indecentius, ac scurrilius uociferentur, atq; adeo libellis etiam æditis debacchentur, perinde quasi mundus iam nõ gignat homines, sed meros

ſed meros bubalos & onagros. Sed uenter non tantum auribus, ut ait Cato, uerum etiam oculis & mente caret. Faxit Chriſtus, ut reſipiſcant in ipſius gloriam. Equidem optarim pacem habere cum omnibus. Id quoniam mihi fatis negatum eſt, negatum eſt autem mihi cũ laudatiſſimis quibuſq; uiris, triplici argumento meipſum conſolor: primum recti conſcientia, cui ſua merces in tuto eſt apud τὸν καρδιογνώστην: deinde conſortio celebrium uirorum, Socratis, Phocionis, Ariſtidis, Scipionis, & ſi mauis Chriſtianos, Pauli, Hieronymi, Baſilij, & Chryſoſtomi. Poſtremo dum contemplor, quales habeam oblatrantes, & quales è regione fautores: Illic nullos uideo niſi aut inſigniter ſtolidos, & impudenter ſcurras, aut gloriæ famelicos, aut maledicentiæ natos, aut œſtro liuoris percitos, aut uentris mancipia, aut quibus hic mundus potior eſt Chriſto. Hic quos reges, quos principes, quos cardinales, quos epiſcopos intueor? qui non tantũ literis & applaudunt qualibuſcunq; ſtudijs meis, & mihi pro nauata meliori literaturæ ac pietati opera gratias agunt, uerumetiam ultro miſſis honorarijs muneribus teſtantur ſe non aliter ſentire quàm prædicant. Quot ſunt etiam hodie tum opibus tum dignitate præcellentes, qui me ad omnium fortunarum conſortium inuitant? Eruditos ſileo. Quis non tot talium q; uirorum iudicio fretus, negligat inauſpicatarũ auium garritus? quando quidem placari non poſſunt. Equidem non agnoſco Bataui Herculis glorioſum titulum, quem tu mihi tribuis. Sed tamen quum ipſe ſentias his quoq; temporibus in Gallia ſtudiorum & ingeniorum altrice quantum inuidiæ ſuſtineant οἱ φιλέλληνες, facile coniectas quos barbarorum impetus exceperim, ante annos ferme triginta apud noſtrates, iuuentutem ad eloquentiæ ſtudium, Græcarum q; literarum amorem extimulans. Vix noſtra phalanx ſuſtinuiſſet hoſtium coniuratorũ impreſſionem, ni Adrianus tum cardinalis, poſtea Romanus pontifex hoc ædidiſſet oraculum, Bonas literas non damno, hæreſes & ſchiſmata damno. Sed apud nos indies miteſcit hęc inuidia, ſummam q; in ſpem uocor fore, ut excellẽtiſſimi regis Franciſci felicibus auſpicijs adeo conſileſcant coaxantes ranæ, ut nemo theologorum ordine dignus habeatur, qui rudis ſit linguarum. Certe ante annos non ita multos Hermannus Letmannus Batauus, aut ſi mauis, Holandus, harum literarum acceſſione nonnihil etiam cõmendatus fuit, ad hoc, ut in diſtributione laureæ theologicæ primas ſortiretur. Arbitror hominem tibi notum eſſe. Proinde perquàm lubens ſpectaui te in tuis literis iuueniliter ſtomachantem: hinc enim perſpexi quàm ex animo faueas huic ſtudiorum generi: ſed ſpero fore propediem, ut iſtos tenebriones contemptu iudices digniores, quàm ſtomacho tuo. Quin & nunc ſic eluxit linguarum fulgor, ut magis operæpretiũ ſit, flagrantis iam & inflammatæ iuuentutis ſtudia prouehere, quàm cum rabulis male feriatis rixari. Quod ſcribis eſſe quoſdam qui ſibi bonam felicitatis partem deeſſe iudicant, quod Eraſmum non uiderint, quum corporis effigiem ære fuſam exoſculentur, ea q; conſpecta ad ſtudiorum amorem inflammentur, puto non omnino uanum eſſe: quanquam tu conſolandi mei gratia rem, ni fallor, uerbis amplificas. Sed ne poſſim iſtiuſmodi fauoribus inſoleſcere, facit quorundam diuerſus affectus. Dicam enim quod rideas. Eſt quidam doctor Conſtãtienſis, qui mei effigiem in charta impreſſam habet in conclaui ſuo, non ob aliud niſi ut quum inambulat, quoties eam præterit conſpuat: per cõtantibus odij cauſam, reſpondet ſe mihi acceptum ferre hoc calamitoſum ſeculum. Antea uolens nolens eram Luteranus. Hoc telo de manibus excuſſo, quærunt aliud: aiunt me dediſſe gradum ſectarum autoribus. Hoc argumentũ ſerio rurſus tractauit Albertus Pius, cuius ingens uolũmen excudit Badius, quum opus ut audio non ſit Alberti, ſed per multas operas conductitias conflatum: nec minimum contulerunt Franciſcani Pariſienſes: habent enim quendã inſigniter ἀκριτόμυθον Petrum Coruuenſem. Ipſe Pius rem fecit

oppido

oppido & ingenioſam, infixit aculeum ac ſeſe proripuit. Deceſſit enim multis ante diebus, & Badius opus abſoluiſſet. Dicebatur Carpenſis, & quanꝯ ditione fuiſſet exutus, cognomen idem manebat, licet ratio cognominis fuerit diuerſa. Prius enim à Carpis erat Carpenſis, poſt à carpendi libidine. Atque ut intelligas illum non ſine cauſa dictum Pium, triduo & moreretur, induit amictum diui Franciſci, in ea ueſte Franciſcanorum humeris deportatus eſt ſolenni pompa per uias, facie, manibus & pedibus nudatis, & in monaſterio ſepultus. Non inſector religioſum hominis affectum: uulgatum eſt hoc apud Italos: ſed demiror patres illos, quum non ignorent cuiuſmodi ſit hoc ſeculum, eiuſmodi ceremonijs, ne dicam ſuperſtitionibus, irritare in ſe orbis inuidiam, plus ſatis iam flagrantem ſuapte ſponte. Sed Alberti manibus precor lucem & quietem. Opus nondũ uidi. Sentio quoſdam parricidialibus odijs in me ferri, non Lutetiæ tantũ, ſed in Germania quoꝯ: qui ſimul atꝯ comperiſſent Cæſaris animum in hoc obfirmatum eſſe, ut ſectarum diſſidijs Germaniam liberaret, protinus priuatim ac publice uirus euomere cœperunt in Eraſmum. Longa eſt fabula, ſed partem eius è ſchedis quas mitto cognoſces. Varia ſunt martyriorum genera, innumerabiles ſuppliciorum formæ, ſexcentæ mortium ſpecies. Ego fortaſſe cum diuo Caſſiano uidebor conferendus, quem accipimus ſtilis graphiarijs à ſuis diſcipulis fuiſſe confoſſum. Sed quãto crudeliora patitur Eraſmus, qui tot annos innumerabilium hominũ linguis & ſtilis confoſſus uſꝯ ad uitalia, uiuit adhuc in tormentis, & ſentit totus, nec datur morte finire dolorem? Verũ omiſſis iocis, ad tuam epiſtolam redeo. Quid audio? Luteranus dictus es quod inuiſeris Eraſmum? At quotquot ſunt eius ſectæ, ſi quem ſenſerint me petere, dicere ſolent, caue tibi ab illo, inficiet te ſi cõueneris hominẽ, hoſtis eſt acerrimus Euangelij. Quid iſtud monſtri eſt? niſi quod, ut prudentiſſime ſcribis, nec legunt noſtra, nec ſcire cupiũt quid agamus. Tantum quod in conuiuijs ſodaliũ audierunt uociferantur, & Andabatarum more clauſis oculis gladium uentilant. Iam fingant me ſentire cum his quos iſti ducunt pro hæreticis: quanto Chriſtianius erat, ſuſpicionem in eam partem eſſe pronam, ut crederent te hoc animo Eraſmi colloquium expetiſſe, quo eum in uiam reduceres. Quantum igitur iſti abſunt ab Euangelica charitate, quæ non ſuſpicatur, nec cogitat malum? Quid dicerent ſi iſthuc cõmigrarem, tibiꝯ domeſtica conſuetudine iungerer? Quod tantũ laudum in me largiſſime profundis Mallari doctiſſime, non expectabis à me mutuũ, non quod non paria tu atꝯ etiam maiora promerearis, ſed quod nec ego agnoſcam quæ mihi tribuis, nec tua modeſtia uideatur talibus encomijs oneranda. Demiror quo conſilio mutos magiſtros ad percipiendam Græci ſermonis ſcientiam adhibere malueris, quũ Gallia tam multis abundet Græce peritis, & uiua uox ut habet ſuam peculiarẽ uim, ita dimidium laboris adimit diſcenti. Vehementer autem laudo quod uertendis Græcis de te ipſo periculum facis, quantum in utriuſꝯ linguæ facultate profeceris. Sed iſta quoꝯ meditatio ſuccedet felicius, ſi uerſionis tuę cenſorẽ adhibueris, aut tuam uerſionem cum aliorũ translatione contuleris. Quod percontaris num Chryſoſtomi monachus ab alio quopiam latinus ſit factus, uideo te uirum eſſe minime curioſum, quid rerum gerãt alij. Nam monachus ille in quo ſcribis te tyrocinij tui ſpecimen ædidiſſe, iam ante ſex annos proſtat uerſus ab Oecolampadio. Eũdem meo ſuaſu uertit Germanus Brixius, ſed quoniam ille Callipidem egit, ſero & miſit quod uerterat, quum totus exiret Chryſoſtomus, Oecolampadianam æditionem recepimus. Rurſus idem opuſculum in Anglia uertit Vergilius Polydorus ſatis feliciter, mihi dicatum. Excuſum eſt autem Lutetiæ. Si quiuero nanciſci Brixianã æditionem, ad te mittam, ut tuam poſſis cum triplici uerſione conferre. Rumorem retractationis hinc opinor natum, quod libri quo monachis Hiſpanienſibus reſpondeo, poſteriori æditioni ſubieci loca quędam

ex aliquot meis lucubrationibus emendata, quæ uel ipse deprehendi, uel amici sug-
gesserunt. Verum hic dum amicis fido, quædam dum emendare conor deprauaui.
Is liber prodijt anno. M. D. XXIX. mittam si quem nactus ero qui non recuset
sarcinulam. Neq; uero puderet pigeret ue idem in uniuersas meas lucubrationes fa
cere, si quam uiderem rationem qua liceret omnibus omniũ offensionibus mederi.
Nunc quod alijs uidetur maxime pium, alijs uidetur impium. Sequar scholastico-
rum placitorum gnomones? Ipsi inter se dissident. Quosdam autem offendit quic-
quid alijs uerbis dictum est, q̃ ipsi loquũtur in scholis. Quibus si uelim morem ge-
rere, bis frigebunt omnia, partim quod pleraq; scholę dogmata sunt eius generis, ut
etiã si nitantur indubitata ueritate, tamen extra scholam non habeant gratiã, partim
quod impuritas orationis rebus etiã per se gratiosis detrahat gratiam. Iam quid istis
faciam, qui sibi uidentur callere latine quum nesciant? Quid illis, qui quoniam ad
lectionem adferunt inimicum animum, omnia detorquent ad calumniam? Aliud
male sonat, aliud est suspectum, aliud est affine Turrelupinorũ errori, aliud est of-
fensiuum piarũ aurium, aliud est parum reuerenter, aliud parum circumspecte di-
ctum. Si quid eiusmodi uideatur, ut offendere possit principum aut pontificũ ani-
mos, schismaticum est. Quasi per se non sit ulcerosis odiosa ueritas. Deniq; quid fa-
cias his qui mea non legunt? Atqui ea maxima turba est, nec ulli uociferantur im-
probius. In tanta sententiarum uarietate, in tam surdis clamoribus quid me iubes se-
qui? Certe hæc mihi mens est, ut si quid uel ipse deprehenderem in libris, uel alius
commonstraret, quod uere pugnaret cum indubitata ueritate fidei catholicæ, mox
iugularem. Quidam è tuo sodalitio damnauit quod in colloquio cui titulus inqui-
sitio, scripsi patrem autorem esse omnium, complectens etiam duas personas diui-
nas. Sed ille putat autorem nihil aliud esse q̃ factorem, quum autor dicatur frequẽ-
ter fons & princeps negocij, autoritas principium & origo prima. Eas uoces sic fre-
quẽter usurpat diuus Hilarius, proinde si Latine calluisset, nihilo magis offendisset
autor omnium, q̃ principium omniũ. Rixandi, calumniandi q; nullus est finis. Hic
nobis toties occinuntur Augustini retractationes. Atqui retractatio nihil aliud est
q̃ recognitio. Neq; enim eo titulo profitetur se castigationem errorum suorum, sed
catalogum & recensionem operum suorum texere ac singulorum uelut argumen-
ta, eo̊ spectans, ne quid lucubrationũ ipsi⁹ intercideret, aut alteri tribueretur quod
ipsius esset, aut ipsi tribueretur quod esset alterius. Verum obiter quædam sua repre
hendit, fateor, sed leuicula: ueluti quod alicubi sit usus uocabulo fortunæ, quod la-
psus sit in nomine medici. At plura defendit, interdũ non sine tergiuersatione. Por-
ro̊ quanto grauiora adhuc resident in illius uiri libris, nulla esse hominum merita:
cuiusmodi si quid in meis deprehenditur, Luteranus sum. Quoties iterat infantibus
nihil prodesse baptismum, nisi comedant carnem & bibant sanguinem domini?
Quoties tribuit Petro apostolorum principi superstitiosam ac peruersam uolunta-
tem pertrahendi gentes in Iudaismum? Omitto cætera. Proinde frustra tantopere
iactatur hoc exemplũ Augustini. Quis magis ingenue castigauit sua, q̃ ego? Quo-
ties recognoui mea prouerbia? Quoties nouum testamentũ? Quod opus rursum
excuditur, in quo non corrigam aliquid? Idem ante annum separatim etiã feci, præ-
sertim in his operibus quæ credebam me uiuo non iterum ædenda. Itaq; quod hor-
taris ultro currentem uir amicissime, pro tua quidem solicitudine debeo gratiã, sed
officiosius faceres, si commonstrares quæ merito sint emendanda. Nam hæreseon,
errorum q; mentione plena sunt omnia. Non dubito quin tibi sit animus integer, si
modo uacaret nostra legere. Vt redeam ad Grecos, si tibi nõ est cui tua prębeas exa-
minanda, superest hoc exercitationis genus: uerte quiddam à docto quopiam uer-
sum, sed illius uersione nõ inspecta: ubi præstiteris quod potes, tum confer utriusq;

translationem

translationem cum Græcis, senties hinc fructum haud pœnitendum. Arbitror Grę cum Chrysostomũ iam prodisse ex officina Veronensi. In uertendo præcipuam laudem obtinet Theodorus Gaza. Sũmus artifex est Angelus Politianus. Mihi in uertendo semper placuit fidelis & erudita simplicitas, præsertim in hagiographis. Budæus uicinior est Politiano. Opinor me respondisse ad omnes epistolæ tuæ parteis, fortasse breuius q̃ tu uelles. Sed hic certe ueniam dabis, si cogitaris me post absolutos libros, hoc ludo relaxasse delassatũ ingenium, ut eodem tempore scriberem epistolas. p.m. nonaginta, quarum aliquot sunt hac duabus paginis lõgiores. Pro epigrammate habeo gratiam, sed aliud dicis Latine, aliud Græce. Nam Græce loquẽs nõ uis me prius liberari à rabulis, q̃ mortem oppetã, Iam anstreperus pro obstreperus inueniat̃ addubito: particula ἄρ non uideo quid agat, nisi qđ explet hiatũ metri, dicere poteras ἔκδικον ἀονίδων. Sed nimiũ abutor humanitate tua Mallari charissime, opto te q̃ rectissime ualere. Datũ apud Friburgũ Brisgoiæ, v. Cal. April. anno à Christo nato M. D. XXXI. Habes epistolam αὐτόγραφον, καὶ ἀχέτυπον. uix eñ uacauit scriptam recognoscere. Sed suspicabar hoc sic amanti fore gratius, si scriptũ acciperes ipsis lituris ac dispunctionibus referens notas animi ex tempore simpliciter ac sine fuco apud amicum sese proferentis.

ERASMVS ROT. ANTONIO DALBONO ABBATI S.

SI tam facile montes & ualles transmitterent corpora, q̃ transuolãt animi, iamdudum Erasmum haberet hospitem insula Barbara, meo iudicio dignior quæ μακαρία dicatur. Sed prẹter itineris longitudinem deterruit me Mallarius prolixa epistola, qua lõgam texit fabulam de tumultu quem cuculliones quidam excitarant in absentem, quod diceretur expetisse colloquiũ Erasmi. Quid facerent, si isthuc commigrassem, uiderent q̃ nos arcta familiaritate iunctos? Miseret me profecto talium ingeniorum. Nam si tales sunt qui perfectam pietatem titulo ueste q̃ profitẽtur, quid expectandum ab his quos isti mundanos appellant? Sed hac de re copiosius respondi Mallario communi amico. Abunde malorum hic erat, etiamsi nihil accederet. Iampridem infestat nos pestilẽtia, quæ desinere nescit. Summarum caritas, crescit indies. Quid sit sequuturum, nouit deus, mihi nequaquam placent auguria. Et tamẽ incommodum est huic corpusculo mutare nidum, ut iam maxime tutum sit. Narrant Turcam adornare treis exercitus, quorum uno incurrat in Austriam aduersus Ferdinandum, altero in Poloniam, cui iam olim minitatur, tertio Neapolin, inde petiturus benedictionem à summo pontifice. Dura sunt hæc, tamen hæc quoq̃ puto leuiora, q̃ si tota Germania & huic finitimæ regiones mutuis cædibus misceantur. Dices sæuum esse morbum, nec posse curari uulgaribus remedijs. At ego odi remedia morbo grauiora. Si ferro res agetur, maxima calamitatum portio recidet in immerentes, & sub prætextu defendendæ pietatis mundus implebitur latrocinijs. Hispaniæ multos alunt occultos Iudæos, Germaniæ plurimos habent & natura propensos, & bellis exercitatos ad latrocinium. Tota hæc colluuies exundabit primum in Germaniam, mox in reliquum orbem. Nesciunt enim arma ponere quibus semel tradita sunt. Iam semel atque iterum dedere sui specimen, Romæ ac Viennæ. Orbis nunquam habuit Cæsarem potentiorem q̃ nunc habet, Is pro sua pietate ac religiosa in sedem Romanam obseruantia, uidetur facturus quicquid præscripserit Romanus episcopus. Gratulandum igitur erit rebus humanis, si uicario Christi nihil in mentem ueniet nisi Christo dignum. Multis tamen sinistrum uidetur augurium, à Clemente tam inclementer tractata Florentia. Vt liberis licet affectis iniuria nõ datur ulciscendi ius in parentes, ita multis ethnicis uisum est non esse phas in patriam utcunque meritam ferrum stringere. Thes-

miſtocles & Ariſtides per inuidiam exules, magno tamen adiumento fuere patriæ. Lacedæmonius ille rex præter meritū exul, ne queri quidem de patria ſuſtinuit. Coriolanus iuſtiſſimū dolorem, matris autoritate ſubmiſit. At uereor ne nobis qui præcipites agimur cupiditate uindictæ, cueniat quod euenit equo, qui tergo ſeſſorem, ore frenū recepit, dum ceruū ulciſcitur. Ἷς οἰωνὸσ ἄρισος ἀμύνισθαι περὶ πάτρης, ait Hector Homericus: at hoc rerū ſtatu mihi uidetur Ἷς οἰωνὸσ ἄριστος, ἅπαντας θεῖον ἀλάσαι κακόν. Sed hoc quod omnium eſt caput cum primis negligitur. Vnde enim ſub optimis principibus tantum in orbe Chriſtiano malorum, niſi à deo noſtris irato ſceleribus? Quādo unq̄ ueſtra Gallia grauiorem accepit plagam? Bene habet quod eam tempeſtatem excepit ſerenitas. Quis unquam uidit afflictiorem Italiam? Quę multis annis uereor ut recuperet uigorem priſtinū, in quo nos quondā illam uidimus. Quid nunc Germania turbulentius? Quid miſerabilius, ſi incidant quæ uidentur impendere? Iam ut parci⁹ bibatur, ut minus ſit luxus in cōuiuijs ac ueſtitu, ut clerici uerticem habeant latius raſum, ut ueſtē ad talos demittant, ut ſoli dormiāt, facile pręſcribi poteſt ab hominibus: ſed omniū bonarum actionū fontem ſolus deus purgare ualet, & faciet, ſi nos ſyncera plena q̄ fiducia ad illius miſericordiā cōfugerimus. Ille exoratus dabit eccleſiæ primatibus animū omnia mundi cōmoda Chriſti glorię poſthabentem. Dabit principibus mentem, & opibus, & glorijs, & uindicta, & omnibus humanis cupiditatibus ſuperiorem, dabit ſapientiā cœleſtem, uniuerſam terrenam malitiam ſuperantem, dabit ſacerdotibus ac monachis uerum mundi cōtemptum, & ſcripturarum amorem, dabit magiſtratibus & populo timorem ſui. Finem philoſophandi faciam, ſi teſtatus fuero, me pro his quæ defers, nihilo minus debere tibi, q̄ ſi fuiſſem uſus. Opto tuam pietatem cum omnibus illi charis q̄ optime ualere. Apud Friburgū Briſgoiæ, anno à Chriſto nato M.D.XXXI. Cal. Aprilibus.

ERASMVS ROTERODAMVS PETRO MANYEO ABBATI S. SVLPITII S.

VTinam quemadmodum hic temporum ſtatus multis nominibus protrudit ad emigrādum, ita ſterneret mihi commodam uiam ad tam amabilem hoſpitem. Sed deterret itineris tum longitudo, tum incommoditas, & hoc corpuſculum iam deſijt ad omnem profectionem eſſe accōmodum, utcunq; uiget animus. Sed teſtudinis φερεοίκῳ ſortem agnoſco, domicilium quod circumfero moratur hoſpitem, indies etiam ruinam minitans. Compluribus argumentis mihi commendas tuam Sabaudiam, tametſi mihi non prorſus ignotam. Olim enim e' Lutetia per Lugdunum petens Italiam, bonam illius partem uidi. Apud Taurinorū Auguſtam cōmorati ſumus aliquantiſper, mire placebat gentis humanitas. Sed inter omnia regionis cōmoda, quæ cōmemoras, nihil æque me ſolicitat atq; iſte tuus tam candidus tā amicus animus. Spero aūt ſi Germania bellis inteſtinis collidi cœperit, ueſtram regionē fore quietam: quanq̄ audio neſcio quid cōtrouerſiæ uobis fuiſſe cum Bernatibus, id arbitror eſſe conſopitū. Triſte porrò fatum narras Rolandi Caroli magni nepotis, qui ſiti perierit in Hiſpanijs. λιμῷ δ' οἰκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν, inquit Homerus, quādo uideo te libenter ἐξανύειν. At medici cenſent longe cruciabilius, mori ſiti. Sed Rolando Hiſpania plane fuit σπανία. Sic enim appellat beatus Paulus. Delectauit me Caſtoris & Pollucis mētio. Caſtor inquit Horatius, gaudet equis, ouo prognatus eodē pugnis. Fateor me olim equitandi ſtudio fuiſſe captum, καὶ τὴν ἱπποτροφίαν mihi fuiſſe luculento damno, ſed iam pridē Caſtor eſſe deſij. An tu etiamnum Pollucem agas neſcio, nam aliquando te ſtrenuū egiſſe pugilem ex tua ipſius narratiōe cognoui, quū Baſileæ familiariter inter nos miſceremus fabulas. Sed ut idem narrat Horatius, ob diſſimile ſtudium, geminoꝝ gratia fratrū

propè

propè dissilijt: nos porrò communis literarũ amor arctius iunget, q̃ Castorem & Pollucem iunxit idem ouum, modo liceat isthuc usq; prorepere. Id si minus licebit corpore, certe animus subinde ad uos transuolabit. Mihi cum paucis uiuendum est, si uelim uiuere, adeo tenera est ualetudo. Inter ἀναλφαβήτους uestros, ut tu uocas, licebit utcunq; balbutire: hic planè mutus sum, nec intelligo quenquam, nec intelligor ulli. Cum aulis mihi nihil conuenit. Quid aũt dicas aulam planè Gallicam, nondum intelligo, sentis opinor comem & humanam, sed Germani nostri secus interpretarentur. Verũ omissis iocis, gratissimũ est quod offers & teipsum & tua omnia citra exceptionem. Sed tu iure gratiarũ, iam pridem in ære meo es, licet ego magis etiam in tuo. Fortuñas aũt tuas non admodũ grauabo. Cõtigit enim mihi sors animo par, inter πλούσιον & πτωχὸν media. Dedimus hac hyeme sex apophthegmatũ libros, & commentarium in psalmum. xxxiij. Præfati sumus in Aristotelem Græce excusum, multo q̃ antea emendatius, quem iam paruo sibi quiuis parare poterit. Præfati sumus & in Titum Liuium, auctum quinq; libris qui nunquam antehac prodierunt, præter innumeras epistolas. Tantum horti nostri porrigunt hybernis mensibus: Quid facerent æstiuis? Sed ingeniorum ætas semel elapsa nunquam redit. Cætera coram, si temporum ratio sic suaserit, & ualetudo permiserit. Bene uale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ postrid. Cal. Aprilis. M.D.XXXI.

ERASMVS ROT. ANTONIO FVGGERO S.

QVum animum istum tuum tam amice amicum contemplor uir ornatissime, quum reputo quod in me nihil promeritum benef cijs beneficia cumulas, postremo quod homo prædiues ad fortunarum consortium inuitas: partim mihi uideor egregie felix, cui talis patronus & amicus diuinitus obtigerit: partim rubore suffundor, atq; etiam animo discrutior, quum excussis omnibus meis facultatibus, nihil reperio quo tecum paria facere queam. Quid autem dixi paria? quo saltem grati debitoris propensam uoluntatem declarem. Proinde Ioanni Cholero communi amico pristinam amicitiam renunciaui, ni mihi bona fide suggerat occasionem declarandi quanti faciam istud pectus tot gratiarũ muneribus exornatum. Magnæ diuitiæ solent possessori conciliare fastum & supercilium, At quem inuenire est ex mediocris census grege, cui par sit morum comitas, facilitas ac uerecundia? Solent opes sui sitim excitare, uelut hydrops quidam. Tu contrà quod ultro in te effundit numinis benignitas, alijs potius habere uideris q̃ tibi, uere diuitiarum dominus, ut in quem illæ nihil iuris habent, sed tibi tuo arbitratu seruiunt. Beatus Rhenanus homo insigniter eruditus in epistola quadã ad D. Philippũ Puchaimerum sic depinxit ædes tuas, quas Pholyphemus mihi parum rhetorice commendauit, ut si eas fuissem omni ex parte contemplatus, nõ fuerim uisurus amplius. Sed quanta felicitate me spoliat horum temporũ iniquitas? Vtinam propicium aliquod numen ciuiles tumultus arceat à Germania. Sed ubicunq; locorum fata uolent esse Erasmum, ibi scito futurum Antonij Fuggeri, totius q̃ nominis Fuggerici studiosissimum. Pro lagena uini quam per alium aurigam misisti, per eundem qui attulit gratias egi. Sed quoniam & ille utrem reddidit nihilo pleniorem q̃ reddiderat Polyphemus, ea q̃ de re questus est famulus, fieri potuit, ut epistolam ad te meam suppresserit, metuens ne per illam proderetur. Hoc eò scribo quod uideam Cholerum anxium, ne uinum posterius missum non sit redditum. Cætera uasa erant plena. Si quid tale mittendum esset, uasi fideli bene q̃ picato oporteret cõmittere, addendus esset fucus quasi ad alium magnæ autoritatis uirum mitteretur. Quum audiunt ad Erasmum hospitem, putant obiectam prædam absq; periculo. Bene uale. Datum Friburgi pridie. Non. Aprilis. M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS CVIDAM THEOLOGO S.

ABsolutissime magister noster, Quirinus famulus meus huc reuersus, retulit te in cõuiuio dixisse quædam esse in libris meis, quæ nullo pacto possent ab hæresi excusari. Fieri potest, ut ille non satis intellexerit quid dixeris: & fieri potest, ut imprudẽte me tale quiddam sit in scriptis meis, quum eiusmodi nonnulla reperiantur in scriptis Hieronymi, Ambrosij, & Augustini. Verum ego sum in hac sententia, ut existimem in scriptis meis nihil esse, quod proprie dici possit hæreticum, si absit disputandi calumniandi q; studium. De cæteris lapsibus qui solẽt hominibus obrepere, nunc non ago. Quare rem mihi summopere gratam facies, si tale quiddam ostẽderis: ostensum protinus à me iugulabitur. odi hæresim ut si quis alius. Audio enim te uirum esse ciuilem & æquum, ac Beddæ dissimilimum, qui mihi rabire uidetur non iudicare, precor illi sanam mentem. Vter aũt nostrum acrius retundat uires sectaꝝ, uel illo argumẽto apparet, q; neminem uehementius oderũt q; me, neq; quenq; frequentius lapidant aculeatis libellis, quũ Beddæ nemo succenseat. Et hæc Erasmus audet in Germania, non sine summo discrimine & fortunarũ & capitis. Neq; enim libellis tantum res agitur, sed criminationibus periculosis, & clancularijs insidijs. Enotant è libris meis, si quid iritare possit in me ciuitates, populum aut principes. Aedunt odiosa quædam sine nomine, & subornant qui suspicionem in me deriuent. Latitãt enim sub Euangelij nomine quidam artifices moribus non admodum Euangelicis. Basileam nõ reliqui, donec esset aliqua spes rem posse ad saniora referri consilia. Hæc si nossent Theologi quidam, saltem hunc hominem aliquo fauore dignum iudicarent. Dominus te prosperet in omnibus. Rescribe per hunc si molestum non est. Est enim Ottomarus Luscinius huius urbis primarius ecclesiastes, nec à linguis ac musis alienus, in hoc mei fati, quod ut ille Augusta, ita ego Basilea profugi, ne uideremus quæ dolerent oculis.

ERASMVS ROT. D. BERNARDO BOERIO SVO, S. D.

SI quid omnino mihi credis, hoc tibi persuadeas uelim Bernarde suauissime, quum ex omnibus mundi plagis fasciculatim adferantur literę, multis retro mensibus nullas ueniisse tuis gratiores, quas Idibus Martijs M. D. XXX. ad me dedisti, adeo ut quum id temporis alui torminibus tantum non exanimatus essem, epistola tua lecta reuixerim, adeo mihi iucunda fuit pristini conuictus nostri recordatio: sed multo iucundius fuit, q; intelligerem eam eruditionis sementem, quam nos Bononiæ in puerilis ingenij nouale iecimus, ad luculentam maturam q; frugem peruenisse. Alioqui nõ nihil uerebar, ne quod plerisq; solet usu uenire, opes, Romanæ delitiæ, dignitas, & huius comites prophanę curæ, mentem tuã à philologiæ contubernio distraherent. Hanc solicitudinem ab amore tui profectã inanem fuisse & per te mihi penitus ademptam gaudeo. Nam rarum quoddam acumen in literis tuis, sensus arguti, nec è triuio desumpti, schematum gratia, uerborũ delectus abunde testabantur te in musarum hortis uersari. Super omnia tamen me delectauit ista tua in me pietas, quam mirificam quandam undique tota spirat epistola. Nam uera uiuida q; sit oportet, quam tam ingens temporum ac locorum interuallum, tam q; diutina corporum seiunctio & consuetudinis intermissio non potuit uel tantillo reddere languidiorem, sed ut apparet, reddidit flagrantiorem. Proinde subscriptionis illius quæ tibi scrupulũ iniecit, me mi Bernarde nõ pœnitet, ut quæ te excitarit, ut euidentius exprimeres amoris erga me tui magnitudinem: qui si in adolescente per tot occasiones, quas cõmemoraui, refrixisset, nihil alienum ab hominum moribus, aut rarum, nouum ue accidisset. Eo q; uoluptatem uberiorem cœpi, posteaq; intellexi nostri memoriam nõ solum nõ abolitam ex animo tuo, uerum

etiam

etiam uenerabilem ac ſacroſanctam eſſe. Sic enim ſcribis, & credo. Niſi enim ex animo ſcriberes, non ſcriberes tam ardenter. Porrò nomen Eraſmi uobis pro hedera fuiſſe, magnamq; apud omnes eruditionis opinionem conciliaſſe, utinã tam ſit uerum q̃; amanter abs te ſcriptum eſt. Debemus hoc illi, quẽ tu ſcarabęi nomine ſignas non ſolum quod maturius uos reliquerim, ſed etiam quod noſtræ conſuetudinis iucunditas, multa aloë fuerit temperata, ut ni me fides retinuiſſet in officio, neviuam, ſi talento magno perpelli potuiſſem ad menſtruam eius monſtri patientiam. Sępenumero miratus ſum patri uiro prudenti tam læuum fuiſſe hac in parte animum, ut ei crederet chariſſima pignora, qui uix idoneus erat curandis porcis, imò qui ob mentis impotentiam uerè curatoris egeret. Sed hæc eſt rerum humanarũ infelicitas. Me hinc quum multæ res protrudunt, tum in Italiam inuitant plurimæ: ſed hoc corpuſculum nullis iam itineribus accõmodum eſt: conditiones nihil morõr, paratum eſt quod meæ frugalitati ſatis eſt: tantum cõtingat tranquilla ſedes, quam hoc fatali rerum humanarum tumultu inuenire perdifficile eſt, præſertim Eraſmo, inuidioſæ famæ graui ſarcina onuſto, quam uelit nolit quocunq; terrarũ ſeſe receperit, ſecum circumfert, etiam ſi Conſtantinopolim proficiſcatur. Atq; ut nuſquam non habeo qui mihi bene uelint, ita nuſquam abſunt ſecus affecti. Sed plerunq; plus ualet malorũ improbitas, q̃; bonorum fauor. Quàm alluxerim Germaniæ neſcio, certe illa mihi multas offudit nebulas ac tempeſtates. Delectatus tamen ſum iſta tua collatione ſolis, omnibus mundi plagis circumactu ſuo lucem impartientis, non q̃ eſſet apta, ſed quod ingenioſa. Quin totum hoc argumentũ uarijs argutis q̃; rationibus abs te declamatum me uehementer delectauit. At hic rumor eſt, imò non rumor, ſed publicum prędonium, Turcam totis regni uiribus inuadere Germaniam, decertaturum de rerum ſumma, utrum Carolus futurus ſit totius orbis monarcha, an Turca. Mundus enim duos ſoles diutius ferre non poteſt. Quod ſi fit, neſcio an uos ſitis abfuturi à periculo. Illud uehementer ſum admiratus, in tota epiſtola tua nullam eſſe Ioannis Boerij fratris tui mentionem. Quod ſi conceſſit in fata, doleo: ſin parum quod abſit inter uos conuenit, magis etiam doleo. Pergratum facies, ſi hunc ſcrupulũ animo meo exemeris, ſimul q̃; ſcire cupio quid agat optima matrona Iulia mater, quid Vincentius conſobrinus. Audieram ordinem militum S. Petri quem Leo inſtituerat, ab Adriano ſexto ſublatum: & tamẽ eum titulum adhuc tua habet epiſtola, unde conijcio rumorem eum fuiſſe uanum. Bene Vale Boeri chariſſime, & ſi fata pertinaciter negabunt propiorem conſuetudinẽ, certe mutuis epiſtolis inter nos confabulari licebit. Quicquid miſeris ad Hieronymum Frobeniũ Baſileam, ad me tuto perferetur. Apud Friburgum Briſgoiæ. III. Id. April. An. M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. LIVINO AMMONIO CARTVSIANO S.

QVemadmodum Caroli noſtri conſpectus ex Italia reducis incredibilem mihi uoluptatem attulit, ita non dubito quin uos omnes magno ſit affecturus gaudio. Ex eo licebit diſcere, nõ ſolum quo in ſtatu ſint res noſtrę, uerumetiam de Roma, de Venetia, de Bononia, de que Germania longam texet Iliadem. Redit enim uelut Vlyſſes, πολλὰ παθὼν ἠδὲ πολλὰ μαθών. Quum interdum mecum reputo Ammoni chariſſime, cuiuſmodi ingenia premantur ac ſepeliantur iniſtis cerimonijs, interdum ſubit animum cogitatio fortaſſis humana, iſtiuſmodi uitæ ergaſtula, non ſine inſtinctu ſatanæ fuiſſe inducta. Quid enim eſt ſpiritum extinguere, ſi hoc non eſt? At Paulus id fieri uetat, Chriſtus autem ne linum quidem fumigans uult extingui, ſed excitari potius. Rurſum ubi cõtemplor iſtum animum tam ſimpliciter pendentẽ de nutu Chriſti, & ad omnes huius uitę iniurias paratum, non poſſum te non beatum iudicare. Varia ſunt enim martyriorum genera, nec in

postremis habendũ arbitror, si quis in istiusmodi molestijs mẽtis tranquillitatẽ constanter seruauerit usq; ad extremũ halitũ. Grauiores cruciatus fortassis habẽt eculei sed breuiores. At ferè fit ut ingenia feliciora, corpuscula sortiantur imbecilliora. Quãta hic ptinus inęqualitas, tã impares naturas ad pares adigere labores? perinde quasi bouẽ & agnũ eodẽ inclusos iugo ducas ad arandũ. Atqui poterat agnus aliũ de se prębere usum. Et haud scio an pisciũ esus, ieiunia, uigilię, solitudo, & si quid aliud est externũ, minima pars sit molestiarũ. Sed in plerisq; gregibus sunt φίλαυτοι, prędfracti, morosi, quidã etiã parũ sani capitis, ex leuissimis nugis miras excitãtes tragędias, ex rebus nihili, cõtentiones amarulẽtas suscipiẽtes. Ac ferè fit, ut quo quisq; indoctior stupidior'q; est, hoc in isto uitę instituto pluris habeat, tumid⁹ fiducia ceremoniarũ, & alieni spiritus iniquus æstimator. Hęc ferre patiẽter, cũ his tueri pacẽ & tranquillitatẽ mentis, arbitror omniũ esse difficilimũ. Nisi nup cuiusdã istius ordinis querelam, qui scribebat se dira perpeti ob quorundã fratrũ inuidiã. Expectabã grauẽ illi⁹ inuidiæ causam. Quid tu expectas? causa erat, q̃ in sinistro choro primũ haberet locum, q̃d honoris multi sibi potius deberi credebãt. Fortassis in isto sodalitio tales nõ sunt, sed si sunt, quũ tu per omnia tuearis dulcedinẽ spiritus, confido te inter beatos martyres non infimũ locũ habiturũ. Mundus iamdudũ abortit, quãdo sit uitalẽ partum ęditurus nescio. Hactenus mihi parũ arrident proœmia. Sed uiuit Christus, arcano suo consilio scenas rerũ humanarũ temperans. Cęterũ priusq; huic fabulæ catastrophen addat ille choragus, mihi uitę peragẽda est fabula, adeo domicilium hoc animi ruinã minitat, nõ perinde ob seniũ ac ualetudinẽ, q̃ ob tædia uirulentissimarum sycophantiarũ, quibus impetor ab utraq; parte: quarũ altera multos habet pro Catholicis cacolycos, altera pro euãgelicis dysangelos, precor ut dominus omnes refingat in suam gloriã. Aestas superior tota ferè nobis fuit sterilis, dum cũ alui tormi nibus, mox cũ diro luctamur apostemate. Hybernis mẽsibus dedim⁹ libros apophthegmatum sex, & cõmentariolum in Psalmũ. xxxiij. Ad opus de ratione cõcionandi noluit animus incalescere, frequenter à me solicitatus. Dominus exhilaret spiritũ tuum frater & amice in domino charissime. Cætera cognosces ex Carolo Vtenhouio communi amico. Apud Friburgum Brisgoiæ Id. April. M.D.XXXI.

ERASMVS ROT. EDINGO AVDOMARO S.

MAgnam nobis uoluptatem attulit Carolus Vtenhouius noster, ex Italia nobis redditus: is ut me perpulit ut aliquid ad te scriberem, ita in causa est ut parcius scribam, quod ex eo poteris omnia plenius cognoscere, quàm ex literis meis quamlibet prolixis. Iam enim audies Italica facundia loquentem, aut Ciceroniana potius. Vnum ingenium uere candidum abstulit nobis inuida parca, Antonium Clauam, quo tu nobis es mi Audomare charior, quod pauciores sint isthic tui similes. Sum iam primum Germaniæ fatur ad uomitũ usq;. Quos fugiam uideo, quos sequar non uideo. Flandriam sæpe cogito, sed an per τοὺς πωχοτυράννους tutum futurum sit dubito. D. Maria quondam Vngariæ regina, quam audio in D. Margaretæ locum substitui, bene uult nobis. Sed si quid illa secus fecerit, q̃ uellent ualde, non dicam Catholici, sed θερμόζηλοι, dicerent me illi nõ nihil instillasse in aurem, etiamsi disuasissem. Nec illa me posset tueri ab his qui pontificia simul & Cæsarea autoritate sunt armati. Nollem eum rerũ statum esse apud uos, qui dicitur esse in quibusdam ciuitatibus, ubi complurium sectarum turba nihil patitur esse tranquillum, aut ubi Euangelicis licent omnia, cæteri coguntur ad ea quę non probant. Certe cogere non est Euãgelicum. Ego plane uereor ne dum alij sunt Luterani, alij Zuingliani, alij anabaptistæ, pugnãtes cũ Turcis, efficiamur ipsi Turcę. Hoc augurium optarim esse uanũ. Tibi precor tranquillã uitã, mihi in hac harena gladiatoria

cadendum

cadendum est, in quam animo reclamante protruserunt amici quidam. Pro tuo erga me studio, proq; delata benignitate profiteor me tibi debere plurimum, & sine his alioqui mentem tam candidam & amicam non poteram non amare, quod ipsa uirtus in se philtrum habet efficacissimum. Cætera narrabit Carolus. Bene uale. Friburgi. XVI. Calen. Maias. M. D. XXXI.

GERMANVS BRIXIVS ERASMO ROTERODAMO S.

VEniet ergo ad nos sub unum idemq; ferè tempus à Germania uestra latine, ab Italia Græce loquens Chrysostomus. Nam & Ioannem Mathæum Episcopum Veronen. referunt, qui Verona ad nos ueniũt, nulli sumptui parcere, ut sua lingua loquentem illum habeamus, & quidem q̃ fieri poterit correctissime, adhibitis ad id exemplaribus ijs, quæ Venetijs è Cardinalis Niceni bibliotheca eruta sunt, itemq; & alijs compluribus, multo multis locis studio conquisitis. Opus ipsum iam formis excusum fuerat, uerum quod mendosum compertũ est ab Aristarchis ijs, quibus negocium credidit Episcopus, denuo Episcopi iussu ac sumptu sub prelum redijt. Ea Græci Chrysostomi expectatio fecit, ut Latinum istũ haud pluribus nostris uersionibus augeremus, q̃ duabus ijs, quę te autore atq; hortatore à nobis ad uos antea profectæ, in manibus hominũ iam uersantur. Nam ut summe etiam cupias, quid tandem est quod uertendum tibi proponere possis, nisi habeas unde uersionis materiam desumas? certe exemplariorum Græcorũ penuria in causa est, cur ipse hoc tempore te hoc in exercitatiõis genere desudantem opera nostra nihilo amplius subleuare possimus. quo magis lætor istic inueniri qui laborem tuũ adiuuẽt σὺν τε δὺ ἐρχομένω. Monachus meus quod sero ad te perlatus est, imputabis ipse nõ meæ, sed tabulario tui negligentiæ, cui opus ipsum tradidi, statim ut tuas accepi, quũ sperarem illum tibi in tempore reddi posse. De Cardinali cancellario, recte te meminisse uideo qd alteris tuis ad me scripseris. De Tusano crede mihi, amans est ille atq; obseruans nominis tui, ut si quis alius: nec minus glorię tuę fauet, q̃ Budaicæ, etiamsi Budæo ipsi in primis doctrinæ suæ Græcæ arcana omnia accepta referat, qui si siuit se per id tempus quo mare ipsum undequaq; turbatũ erat, cũ reliquis uectoribus unã eandemq; nauem temere, ut fit, ingressis, ad horas perpaucas rapi potius, q̃ duci, quo tum uentus pelagusq; ferebant, id ipsum uero non hominis leuitati, sed tempestatis potius ui ascribes: quæ ipsa mehercule talis erat tum suborta, ut mihi etiã clauus, quem ego tamen rectũ semper tenere animo obfirmauerã, in latus quodãmodo deflectendus fuerit, quo minore negocio undarũ fluctuumq; densim incurrentiũ impetum sustinerem, & uel mutata nõnihil uelificatione destinatũ tandem portũ tenerem. ὁ μὲν δὴ ἄνεμος, ὁτὴν θάλασσαν τότε σωτραχὺνων, ξενικὸς ἦν, καὶ ἀπὸ τῶν ἀλλοφύλων. ἡ δὲ ταύτη μὲν οὐκ ἀλαοσκοπὴν εἶχες Erasme. Rem enim te sagaciter subodoratũ longiore illa epistola ad me pridem missa declarasti. Nunc quũ serenitatem alcyones aduexerint, sintq; nostrorũ omniũ animi sedatiores facti, amabo te Erasme suauissime, si qua forte offensiũcula facta est animi tui, & te quoq; ad lenitatẽ ut des, Tusanoq; uel ꝓpter summã istam humanitatẽ, uel honoris mei causa, in pristinã istam amicitiã receptũ præbeas, πάντα τὰ ἐκεῖνα ἐν ἀμνησία τιθέμενος. Vetus est uerbũ, amicitias ĩmortales, inimicitias mortales esse debere: quanq; affirmare tibi possum, nunq; illum in animũ induxisse suũ, ut tuas inimicitias susciperet: quo paratior esse debes, me præsertim deprecatore, ad illũ in gratiã tuam recipiendũ, quũ & alioqui Erasmũ deceat ad summũ illud ingeniũ, ad summã illam in dicendo facultatẽ, parem item animũ afferre, atq; adeo ob infelicium nescio quorũ ingeniorũ à musis ac gratijs prorsus auersorũ uersiculos stomachũ magis remittere, q̃ intendere, nec aliter ad eos cõmoueri, quàm ad culicum morsus elephantus Indicus cõmouetur. notum

tibi

tibi illud, ἄκμων μέγισος οὐ φοβεῖται τοὺς φόφους. Maior est mihi crede Erasme, famæ ac gloriæ tuæ maiestas, ꝯ ut tam ineptis tam' ꝯ insulsis epigrāmatis labefactari queat, θεοί δέ τε φέρτεροι ἀνδρῶν. Illa ipsa porro' epigrammata, caricam mihi musam prorsus redolentia, Tusanum autorem haudquaquam referunt, uirum & Græca & Latina facundia in primis clarum, tum ut morum simplicitate maxime commendatum, ita ab omni maledicentia prorsus alienum. Agnoscit quidem certe ille se unum duntaxat distichon, ut in eo tumultu, ex tẽpore effudisse magis, ꝯ meditatũ fuisse. Id quod amico cuidam quum recitasset, una cum alijs aliorũ nænijs amico prodente, magno certe autoris dolore exijt. Maiori porro' ego te semp animo esse putaui, ꝯ ut huiusmodi bullatas nugas alicuius ęstimares, ac tantũ id spectare, quod ex studiorum usu foret. Meminisse te puto ab Alexandro olim dictum, quũ illi quidam renunciasset, extitisse qui de eo male locutus esset. Regiũ esse male audire quũ bene feceris. Hunc te hac quidem in parte imitari uelim, præsertim quũ tibi, mea quidem ac multorum sententia, sic ã literarijs laboribus, operibus, uictorijs, Magni cognomentũ (facessat hinc omnis adulatio) in posterum accedere debeat, ut illi olim à bellicis sudoribus, facinoribus, triumphis accessisse uidemus. Sed de hoc iã satis. De Budęo libera quęso animum tuũ suspicione ista. Næ de utroꝯ uestrũ, de' ꝯ studijs bonis male mereri mihi uidentur uitilitigatores ij, qui huiusmodi sermũculos spargunt. Nisi illius animus mihi prorsus incognitus est, nihil minus somniat, ꝯ quod ad te perlatum significas. Indicasti & antea literis quid de illo linguæ Græcæ cõmentarios inuulgãte suspicarere. Libro eo iam emisso, dic mihi quæso bona fide, ecqua libri parte perstrictum, suggillatum' ue nomen tuũ deprehendisti? nonne tibi Budæus, Budæus semper est? nonne tibi ille perpetuũ modestiæ tenorem toto eo opere seruat? Est ille & natura et studio sic ad candorem accõmodatus, sic ad modestiã comparatus, ut nihil non candidum, nihil non modestum ab eius ingenio, stilo' ue exire unquam possit: nisi ille forte (ὅπερ ἐμοὶ περὶ ἐκείνου οὐ δοκεῖς πώποτε πείσει οὐ δὲ ἄμ πείσῃ) à suo genio degenerare, se' ꝯ sibi, moribus' ꝯ suis immutare proposuerit. Atꝯ hoc ipsum, quod dico, αὐτὸ τὸ τῶν ἐπιστλῶν ἔργον, quo de loqueris, δείξει. Tuas auidissime expecto, sed tales, ut nunciæ mihi ac testes perpetuæ sint, Tusanũ meum per me uere tibi esse conciliatum. Bene Vale, & me ut soles ama. Pridie nonas Iulias. M. D. XXX.

ERASMVS ROTEROD. GERMANO BRIXIO S.

Epistolam tuam Brixi doctissime pridie Nonas Iulias datam, accepi pridie Nonas Septemb. ne quid mecum expostules, quod hactenus nihil acceperis responsi. Quanquam illud quoꝯ me facit alioqui ad scribendum segniorem, quod tu ferè motoriam fabulam agas, nunc urbanus, nunc rusticus, nunc aulicus. Pręsuli isti Veronensi bene faxint omes superi, qui de priuato suo curat utilitatem publicam, suis' ꝯ impensis tam insigne beneficium parat studiosis omnibus. Vtinam hoc exemplum æmulentur abbates & episcopi nostri prædiuites. Suspicor eundem esse qui quondã apud Clementem Pontificẽ functus est Datarij munere, me' ꝯ nõ semel suis literis dignatus est, ex quibus licuit eximiam quandã hominis & grauitatem et prudentiam cum humanitate singulari coniunctã colligere. Nomen, ni fallor, est Ioannes Mathæus Gibbertus. Conatus sum hoc aliquando persuadere Aldinæ officinæ moderatoribus, sed frustra. Eadem de re sæpius egi cũ Frobenijs, sed hactenus surdis cecini fabulã. Quo magis gaudeo, quod deus hanc mentem immisit optimo uiro, nos' ꝯ per illum uotorũ compotes fecit. Chrysostomus Latine loquẽs iamdudũ prodijt ex officina Frobeniana. Si Græca ut indicas, rursus excudenda sunt, uereor ne res nos expectatione longiore torqueat. Scis uehemẽti desiderio omnem moram esse longam. Quod nũc excusas codicum inopiam, quo minus aliquam

quam Chryſoſtomi portionem uertendã ſuſceperis: non defuiſſent mi Brixi exemplaria, ſi ſignificationem aliquam dediſſes animum tuum ab hoc labore non abhorrere: certe commentariorum in epiſtolam ad Romanos, geminum habebam exemplar, unicum commentarij in priorem ad Corinthios epiſtolam, cuius aliquam partem uertit Franciſcus Aretinus. Cæterum quum mihi uiderer perſpicere, te nõ admodum ad hanc prouinciam animatum eſſe: ad hęc quũ reputarem ingenij tui lentitudinem, ſiue hanc mauis appellari diligentiam: porrò Frobenianam officinam prelis non paucis operoſam, plurimum uoluminum abſumere, cõmentarios in epiſtolam ad Romanos miſimus in Brabantiam, quæ iam habet aliquot huic negocio pares, ſed uoluptatum q̃ honeſtiſſimorũ laborum ſtudioſiores. Itaq; quibus datum erat negocium, nobis dedere uerba, ac poſt ſex demum menſes remiſerũt Græcum codicem: alioqui eius operis portionem aliquã mihi deſumpſiſſem, huc uehemẽter urgente Frobenio. Vulgo dicunt, nihil eſſe ſpe fallaci damnoſius. Certe hæc ſpes effecit, ne ad mercatum uernum hæc quoq; Chryſoſtomi pars prodiret, ac nobis apologum de caſſita in memoriã reduxit. Malueram duplum operis in gneſijs inſumere, hoc quia non licuit, uertere cœperam in poſteriorem ad Corinth. epiſt. homilias aliquot: ſed quo longius progreſſus ſum, hoc magis pertęſum eſt hoc laboris *νόθοις* impendere. Eam itaq; lampadem alteri lubens tradidi, qui tamen non uidetur olfeciſſe longe aliud ingeniũ, aut certe belle diſſimulat. Rurſus hortatu R. P. Cutberti Tonſtalli, nunc epiſcopi Dunelmenſis, in manus receperã cõmentarios in acta apoſtolica, abſoluturus quod deerat, plus illius iudicio tribuens q̃ meo. Verũ hic idem guſtus qui prius, fecit ut ab inſtituto deſiſterem. Ad hæc cõmonſtraram unde peteres Græcos codices, etiamſi à nobis nihil mitteretur. Sed abhorrenti quæuis cauſa perſuadet ocium. Quod ſi maxime prodeat Chryſoſtomus Greçe loquens, id quod neſcio quo pacto mihi nondũ audeo polliceri, non eſt quur ea te res ad uertendum reddat pigriorem, quandoquidẽ hunc laborẽ non tua proprie cauſa, ſed potius utilitatis publicę reſpectu ſuſciperes. Reor autem Latinam æditionem hoc fore uendibiliorem, ſi Græca prodierit. Scis enim perpaucos eſſe præſertim inter Theologos, nam his potiſſimũ hoc opus paratur, qui tam expedite Greçam calleant linguam, ut non malint Latinã, præſertim ubi properant. His igitur iucundũ erit conſulere Greca, ſi quid occurrat deprauatũ, aut parum bona fide redditũ ab interprete. Siquidẽ in confeſſo eſt, pleraſq; huius uiri lucubrationes uerſas ab his, qui nec Romanũ ſermonem nec Greçũ ſatis calluerunt. Si nulla hinc alia peteretur utilitas, q̃ ut hoc genere laboris ingeniũ ac ſtilum exerceremus: ut mihi ferũ eſt in his exercitamẽtis deſudare, ita tu fortaſſis in alio quopiam argumento libentius uerſareris. Nacti ſumus Baſileæ uirum exquiſite doctum parí q̃ modeſtia, Simonem Gryneum, cui partem negocij delegauimus. Et ille quidem nihil nõ erudite, ſed in ſacris autoribus neſcio an perinde ſit exercitatus. Porrò Frobenius non tam eruditionem requirebat q̃ famam. Germani Brixij nomẽ iam illuſtre eſt, & librũ emptori per ſe cõmendat. Magnum lenociniũ eſt autor gratioſus. Non detrectabat operam Oecolampadius, uerum hic titulus apud multos etiã à probis mercibus alienat emptorẽ. De Monacho nõ ita magni refert, niſi q typographus, cui lucrum ſcopus eſt, optabat illic Oecolãpadij q̃ minimum eſſe. Verterat idem opuſculum nõ inſcite Polydorus. Moræ culpam reijcis in tabellarium meũ neſcio quem. An expectabas, ut ob duas pagellas legatum emãdaremus in Gallias? Qui uero mitteremus, quũ nobis nõ conſtaret uertiſſes nec ne, ne id quidem, ubi locorũ ageres? Nam ſignificaras te Lutetia diutius ac longius abfuturũ. Quid q indicaui uiã, qua mature perferretur inter nos, ſi qd extaret rei ſeriæ. Quatuor coronatuli ſemper parabũt tibi ueredarium: eius precij dimidium ego reſoluã, tu dimidio nõ grauaberis, præſertim quũ audiam, & oppido gaudeam.

deam, tibi rem domi haud quaquam anguſtam eſſe, ſed fortunas amplas, quæ benignitati quoq; ſufficiant. Quædam uero Budæi ad te epiſtola declarat te in apparandis conuiuijs plane Lucullum quempiam eſſe. Ego præ te tenuis non poſſum effugere, quin ſingulo quoq; anno, coronatos plus minus ſexaginta inſumam in uerecundarios & grammatophoros. De Card. Cancellario nondum ſat ſcio an recte diuinarim, certe nullam ille unq; parum amicę mentis in me ſignificationem dedit. Frobenianæ tantum petitioni fuit ſurdaſter, cuius cauſam egi per literas, ſed amico obſequens uerius q; meo animo, & ita ut ſatis præ me ferrem hoc negocij nihil ad me pertinere. Ne illud quidem ſatis liquet, de quo tandem allophylo ſentiamus utriq;. Nam is in quem tum uergebat ſuſpicio, mihi narrauit Louanij, ſibi cum Budæo tam acrem fuiſſe concertationem, ut res tantum non ad pugiones uenerit. Qui conuenit igitur, ut ille Budaici nominis tantam habuerit curam? Niſi forte cupiens cum Budæo redire in gratiam, hoc officio uoluit ſibi Budæum demereri: aut hoc agebat peruerſo ſtudio, ut nos inter nos committeret, utriuſq; fruiturus malo. Hoc ſtratagema non admodũ abhorret ab illius ingenio. Nec dubito quin idem Alberto Pio, & animũ addat aduerſum me, & materiam ſuppeditet: Dicitur enim Venetiæ quicquid eſt mearum lucubrationum diligenter euoluere. Sed obſecro quibus artibus ἰταλιώτης ille tantã excitauit tempeſtatẽ? Indicauit in libris meis aliquot loca. Quæ? Quæ notarent Budæum? Nuſquam facio illius uiri mentionem, id quod facio frequenter, niſi q; poſſum honorificentiſſimam. Sed commonſtrauit locum in colloquijs, ubi neſcio quem facio loquentem, Galli amant quæ paruo conſtant, tum ubi per occaſionem refero quę Hilarius & Hieronymus de priſcorum Gallorum ingenijs prodiderunt, alia'q; leuiora. Nam hoc erat crimen omniũ capitaliſſimũ. Vtrum maius mi Germane, uana hæc eſſe, an Budæum tam parum conſtantem grauem'q; uirum haberi, ut ob eiuſmodi nugalia, ueterem amicitiam non diſſuerit ſed abruperit, & hoſtilem induerit animum? Atrox facinus ſit oportet, quod fœdus Muſarum auſpicijs initum dirimat. An confugiemus ad Budæum & Badiũ eadem pagina nominatos? Quod lemma non mirum eſt à te reijci, magis mirum cuiquam ueniſſe in mentem, ut proponeret tam friuolum nugamentũ. Vnde igitur illa prodigioſa tempeſtas, quæ nobis concitauit pluſquam Tyria, quod dici ſolet, maria? Quis Aeolus tam impotentes emiſit uentos, qui uelut agmine facto Qua data porta procurrentes, incubuere mari, totum q; à ſedibus imis Vnà Eurus q; Notus'q; ruũt, creber'q; procellis Aphricus, Inſequitur clamor q; uirum. &c. Vnde Typhonicus uela dilacerans, rudentes abrumpens, antennas ac malos diffringens? Vnde denſim incurrentes fluctus decumani, certum exitium minitantes omnibus? Oportuit enim immanem fuiſſe tempeſtatem, quæ tibi tam uigilanti nauclero & clauum & funes excuſſerit e' manibus, uix q; tandẽ obliquo curſu perueneris eo' quo' deſtinaras. Equidem delectauit me in literis mi Germane tuis ingenij tui δείνωσις. Verum ubi uerborum grandiloquentiã ad rem confero, uix teneo riſum, uideor'q; mihi quiddam legere non diſſimile βατραχομυομαχία. Ex tam inanibus ampullis tantos turbines, tantas rerũ procellas exiſtere? Iam quæ de Tuſano ſcribis, uel hoc nomine mihi fuere grata, quod declarant ingenium tuum humanum amans'que concordiæ. Sed his quod ad me quidem attinet, nihil erat opus, quandoquidem totum hoc de uerſiculis prorſus exciderat animo, niſi tu dum ἀμνησίαν ſuades, ἀνάμνησιν reuocaſſes, ac memoriam refricuiſſes. Cum tuſano nulla mihi interceſſit unquã familiaritas, nec alter alteri priuatim ullo beneficio obſtrictus eſt, niſi quod bene uolebam homini quum erudito tum bonas literas gnauiter prouehenti. In his quoniã ipſe ſui diſſimilis non eſt, ſed quotidie ſeipſum ſuperat, fieri non poteſt, quin meæ etiam in illum beneuolentiæ ſemper accedat aliquid. Porro q; non intenderim animum ad ſimultatem,

uel illud

uel illud arguit, quod amicis qui uel rumores uel id genus suspiciones ad me perscribebant, adeo nõ egi gratias, ut obiurgandos etiam putarim, quod quorumlibet rabularum uoces, aut grammatistarũ nænias ad me mitterent, ad nihil utiles, nisi ad gignenda alendaq; dissidia. Tusanum excusaui, quod me in publica professione parũ amice, ut ipsis uidebatur, attigisset. Item de Budæo testans me nullam omnino suspicionem in pectus meum posse demittere, quæ uiro constanti, probo, docto, deniq; Budæo sit indigna. Quid multis? Tale fuit genus literarũ ad illos mearum, ut offensi nonnulli uideantur in totum a literarũ officio abstinere, tantũ abest ut cuiusq; operã implorarim, qui maledicis uersiculis uicissim in illos luderet, tametsi non deerãt qui hoc & uellent & possent. Is uere pacis amans est, qui submouet ab oculis & auribus quicquid imminuere beneuolentiam possit. Hoc fuco illos deterrẽdos existimaui, quũ eius negocij mysteria multo rectius norim, q; opinãtur pleriq; : sed malo quod scio nescire. Illud tamen ingenue fateor, me a Gallorũ ingenijs plusculũ expectasse grauitatis & candoris q; ibi declararunt, qui ob Budæum & Badium eadem charta nominatos tantas excitarũt turbas, ut eius uere πανικὸν θορύβου rumor, ueluti tinnientibus Dodonæis lebetibus, per utranq; Germaniam, per Brabantiam, per Italiam, deniq; in ipsam regiam dimanarit. Scilicet hoc erat regia cognitiõe dignum, Budęũ esse collatum cum Badio. Passim uolitabant illæ uanissimæ uoces, Erasmus inuidet Budæo, Erasmus uoluit ulcisci Budæũ. Natio Gallorũ uulgo iam olim male audit, stuporis ac leuitatis nomine: quam opinionem semper conatus sum refellere, non ob aliud nisi quod eam pro falsissima ducerem. Verum fore ut ob rem nihili inter uiros eruditos tam inhumani tumultus orirẽtur, ne Catoni quidem eram creditur us. Quod tandem illud exemplum est, in Budæi scilicet gratiã, scurrilibus epigrammatijs eius famam incessere, qui Budæum tot libris æditis amantissime simul & honorificentissime prædicasset & prædicaret? Hic mihi prodibit elephãtus Indicus qui negligit culices. At si tibi proferam uersificatorũ nomina, nollent illi pro culicibus haberi. Sed condonetur gregarijs, si quid in publico tumultu deliquerunt. Vbi tũ dormiebant γνήσιοι Budæi amici, qui inconditos leuium homunculorũ motus compescerent? Nam fortasse Budęus grauioribus negocijs intentus, nihil horũ sciuit. Alioq; si hæc sciuit, nec cohibuit Budęus, quo colore tueberis illius candorem & probitatẽ, qui passus sit hoc fieri in amicum, quod ego non sum passus fieri in Leum hostem? Quum enim Louanij ut quum maxime ferueret tragœdia, me q; absente mei fautores schedis ac ludibrijs in illum insultarent, denunciaui omnibus inimicitiã, si pergerent me talibus ineptijs inuidiæ obijcere, meam q; uictoriam illiberalibus factis obscurare. Eam epistolam iussi per Viuetem è cathedra recitari publicitus. Hoc meum factum quidam indigne ferentes recesserunt ab amicitia. Similiter quum Germani ingens epistolarum uolumen misissent, quibus proscindebatur Leus, uix una altera ue lecta epistola, fasciculum Moro tradidi premendũ. Nemo nesciebat quid mereretur amarulentia Lei, sed ipse malui rationem habere quid deceret Erasmum. Id siue hoc animo feci, q nollem extremis uti uiribus ne in hostem quidẽ, ciuilitas erat: siue ne petulantiæ exemplum in meum recideret caput, prudentiæ erat. Hic specta quanto alius fuerim in Budæum, q in me Leus, & tamen quod in hostem professum fieri passus non sum, hoc amici Budaici putarũt in me faciendum. Rursus ubi tragœdia non leuis exorta fuisset in Martinum Dorpium, in quẽ Hieronymus Buslidius ac Thomas Morus acerrime scripserant, consopiui turbam omnẽ diligenter pressis libellis, quibus & defendebar & prædicabar. Idem feci quũ inter te & Morum res uideretur ad extremam simultatẽ exitura, pressi quicquid Morus in te scripserat, etiã illa quę iam erant typis excusa, exoraui Morum ut ea in re suos affectus mihi permitteret. Ita ne ex tot amicis Budæi neminem extitisse, qui nascens incẽdium extingue-

ret? Atq; hic unus duntaxat erat placandus. Nam ut in animo meo nulla fuit unquã simultas, ita nullã maleuolentis animi significationẽ dedi. Quod ego præstiti Dorpio, cuius stilo fueram lacessitus, nemo uestrum præstitit amico, quum nõ deessent qui oleum adderẽt camino. Compertum eñ habeo, Budæum si quid hic fuit sui dissimilis, alioꝛ instinctu fuisse. Quod si minus mihi putarunt tribuendũ hoc officiũ, certe tribuissent existimationi Budęi, tribuissent cõmunibus studijs, deniq; tribuissent sibi. Quid enim hoc exemplo sceleratius abiectius ue? Atq; hic cõmemoras celsitudinem meam, summam q; gloriam studiorum partam laboribus: demum prouocas ad imitationem Alexandri magni, qui dixit, regium esse male audire cũ benefeceris: admones inimicitias mortales, amicitias immortales esse debere, aliꝭ q; multis argumentis mecum agis, ut contempta improboꝝ petulantia, recipiam memet ad animi tranquillitatem, postea q; ista conquieuit tempestas ac redierunt Alcedonia. Hæc omnia, ut fateor, abs te diserte & μάλα ἠθοποιικῶς dici, ita nõ uideo quorsum fuerit opus hãc mihi cani cantionem. Nullo indicio significaui me talibus uersiculis cõmoueri. An non satis contemnit, qui ne legere quidem dignatur, tantum abest ut ultionem paret? Quas aũt inimicitias iubes me ponere, quum ego nulli denunciarim inimicitias? Hanc tolerantiam si minus præstat fiducia meritoꝝ, aut animus excelsus & Alexandrino similis, certe præstat animus asininus. Vix eñ reor inueniri posse quenquam ὄνον ἀχθοφόρον, cuius tergũ sic ad fustem occalluit, ut mihi animus ad istiusmodi cõtumelias. Quotidie lapidamur maledicis libellis. Dicas fatale malum. At hanc luem decuit ab humanioribus abesse studijs. Proinde Tusani causæ serus, ut dixi, patronus extitisti. Iamdudum enim eram defecato in illum animo: & quanq̃ antehac mihi nullum cum homine ictum sit amicitiæ fœdus, tamen haud abnuo facere quod postulas, si libet illi mecum de integro inire beneuolentiæ certamen, meliore iam ut spero fide. Budęum semper existimaui uirum & probum & humanum, nec de commentarijs illius eram quicquam suspicaturus, nisi monitus amicorum literis. Nec aliud expectabam, q; necubi à me dissentiret: quod si citra petulantiam faceret, testatus sum mihi etiam gratissimum fore. Atq; haud scio an maioris fuerit cãdoris, cum præfatione honoris alicubi dissentire, q; perpetuo silentio contemptum præferre. Quod si fas in sinum amici effundere quicquid est in animo, sum eqdem mi Brixi ingenio simplici natus, quæ res mihi sæpenumero luculentæ fraudi fuit: at non adeo nullum habeo nasum, ut in illis commẽtarijs, quos carptim duntaxat legi Basileæ excusos (prius enim non data est copia) non alicubi senserim Budæi stomachum, uelut de his qui de singuloꝝ ingenio phrasi q; censuras ferunt, de his qui Laurentio inferiores præscribunt loquendi formulas, de his quorum scripta, quoniam dilutiora sunt, nec solem nec ætatem ferre possunt: atq; huius generis alia non pauca. Negabunt ea in me torta. Id facilius persuaderent, nisi iam pridẽ Budęus in Asse, quoties iuuat expaciari, hoc genus strophis in alios citra nomenclaturam digessisset stomachum suum. Mauult exercere coniecturam lectoris, quàm nomen ædere, siue quia tutum non putat, nullum relinquere locum inficiationi, siue quia non existimat quem petit, hoc honore dignum ut nominetur. Nam hoc consilio ipse quorundam nomina uel suppressi uel inuerti. At donemus Budæũ hoc suo iure fecisse, certe, quando tu non depellis crimen, sed candoris laudem hinc illi uindicas, candidius erat & illius probitate dignius, hanc suspicandi materiam lectori subtrahere, magis q; decebat illius humanitatem, non modo nullam offensi animi significationem commentarijs illis inspergere, uerumetiam euidenti testimonio suspicionem omnem eximere, non nobis, sed alijs iniquioribus scriptorum Budaicoꝝ interpretibus q; ego sum, præsertim quum id ab illo per literas petissem, non q ambirem hoc gloriolæ, nam famæ iam olim satur sum, sed quod arbitrabar ita conducere studiorum tran

rum tranquillitati. Perſpiciebam quæ peſtis Chriſtianæ philoſophię profeſſionem occupaſſet, uidebam animos hominũ fatali quodam malo ad diſſidia propenſos: uerebar ne hoc contagiũ ad humaniores literas ſerperet, & iam ſerpere cœperat, eiuſdem ἀλαζόνος opera, per quem tu putas Budæum in me iritatum. Suſpicionem aũt quam aboleri cupiebam, nemo conceperat ex me, ſed partim ex Budaicis ad me literis, ut illis uiſum eſt feroculis, ut mihi, liberis, hauſerant, partim ex uocibus apud complures ab illo ſparſis. Eius ſuſpicionis ἐξάλειψιν Budæus nõ abnuit, tantũ aiebat ſe uereri ne non incideret illic opportunitas nominandi mei. Atqui mihi in meis lucubrationibus ſæpe quæſita eſt opportunitas honorifice prædicandi Budæi. Cæterum quũ in hoc opere ob unius uocabuli occaſionem de nonnullis honorificam faciat mentionẽ, non paucis locis ſe dabat opportunitas ſaltem tribus uerbis nominãdi Eraſmi. Certe ubi de παρηκολουθηκότι quod eſt apud Lucam, retractat priorem ſententiã ac noſtrã aſſerit, admonitus ni fallor meis in Lucã annotationibus, aliqua ſeſe obtulit occaſio. Rurſus ubi declarat quid ſit colophon, nõ pauca uidet ex meis adagijs mutuatus, nõ quod hoc ſuo iure nõ fecerit, fas eſt uti publicis, fateor, ſed ſi quæſita fuiſſet occaſio, tales aliquot ſeſe ultro dedere. Immo haud ſcio an in ullo argumẽto alio potuit commodior opportunitas obtingere. Verũ hoc officium qualecunq; eſt, tametſi ſtudijs ambiebatur non mihi, iam illi remiſeram, priuſq; excuderet opus ſuum. Ego ſcurrilem maledicentiam nunq; metui à Budæo, etiamſi quo pacto fuiſſet laceſſitus. Sed medendum erat hominũ ſuſpicionibus. Nunc ego quidem interpretor in illius commentarijs nihil eſſe quod ad me pertineat, & tamen interim qui mihi bene uolunt, querũtur perſtrictum Eraſmum, & qui parum æqui ſunt, etiam libris æditis mihi impingunt illius dicta, uelut in me citra nomenclaturam torta. De uno loco admonuit illum Daneſius, hortans ut uitaret ſuſpiciones hominũ. Ille pernegauit, quũ leuiſſima unius chartæ iactura res ſarciri potuerit. Quid eſt igit quod Budæi candorem ſic admireris in hoc opere? An quia non perſtrinxit me nominatim? Atqui hoc ut nõ merueram, ita nec expectabam à tali uiro. Non eſt candor illæſum ſinere qui nulla in re læſit, ſed candor eſt etiam immerentem amice prædicare. Sit Budæus animo in me ſyncero, atq; hoc mihi perſuaſum habeam, quid refert, quũ ita temperata ſit oratio, ut amici pariter atq; inimici ſentiant, aut certe ſuſpicentur attactum Eraſmum? Itaq; ſi rem æſtimes, non eſt quod hac quidem in parte tantopere prædices Budæi candorem. Sin reſpicis ad improbitatem inſtigatorum, qui pro delectamento habent ſtudioſos inter ſe cõmittere, fateor agnoſcere me candorem hominis, qui plus dederit ſuę exiſtimationi, q; illorum malitiæ. Habent, habent proh dolor & humanitatis ſtudia peſtes ſuas. Ipſe comperi, qui quod Demoſtheni uicio datum, utranq; partem armarẽt: nec aliud magis placuit exercitationis genus, q; eruditos inter ſeſe ueluti gladiatorum paria componere, quo poſſint aliorum dolore frui. Ex non ita ualde ſenibus diſcas licebit, fuiſſe quondam Lutetiæ, qui Fauſtum nunc cum Tardiuo, nunc cum Delio, nunc cum Balbo, nunc cum Scopo, nũc cum alio atq; alio cõmitterent, non ob aliud niſi ut illorum inſania fruerentur. Rurſus inuenias quoſdam uſq; adeo gloriæ ſiticuloſos, ut quoniam ipſi rebus trãquillis non poſſunt ſibi parare nomen illuſtre, faciant quod de Androclide Græcorũ prouerbio celebratum eſt, excitant ſeditiones: ibi poſteaquam ei cui fauent bonam nauarunt operam, duplicem uenantur laudem, ſumpta perſona ἐιρηνοποιῶν, uolunt'q; uideri cõpoſuiſſe tumultũ cuius fuerunt autores. Talibus iuſtius ſuccenſuero q; Budæo, cui etiamſi quid humanũ accidiſſet, is ſum qui poſſim ad quædam amicorũ delicta conniuere. Quin in totum eo' degenerarũt hominum mores, ut hodie cygnus niger aut coruus albus minus rara ſit auis, q; fidelis amicus, tanta in pleriſq; ſimulandi diſſimulandi'q; uafricies, tantum fallendi artificium, οὐδὲν ὑγιὲς, κίβδηλα ἅπαντα.

Etsi quid in nonnullis comperias syncerioris affectus, tanta est uoluntatum inconstantia, dicas Euripum quempiam. Alios paululũ inuidiæ deterret ab amicitia, tantum abest, ut nunc speres τὸ τῶν συναπθνησκόντων γένος. Alios quamlibet leuis offensiuncula ex amicis uertit in hostes. Sũt quibus si quid benefacias, plumea est gratia; si quid offendas, plumbeas ut ait ille, iras gerunt. Hæres mi Brixi, mihi plurimis experimentis compertæ faciunt, ut hominũ amicitias moderatius ambiam, indiligentius colam, minore cum animi molestia amittam. Tutius est in amicitia Christi consciescere, qui nunq̃ deserit quem semel in amicitiã receperit. Mihi satis est hũc animum præstare hominibus, ut prodesse studeam omnibus, lædere quod quidem in me est, neminem: bonorũ amicitias non respuere, neq; cuiquã dare iustam causam ab amicitia recedendi, nec discruciari si quis præter meritum meum discedat. Leuis enim hæc iactura est, si amicus esse desijt, qui nunc̃q; uere fuit amicus. Talibus amicis iustius indigner, c̃q; Budæo. Verum dum ego cũcta boni consulens pergo mei similis esse, quid obsecro laudis feram? Iniquioribus uidebor timidus ac pugnæ metuẽs, æquiores probabũt animi mei moderationem. Verum apud hos, à quibus fero suffragium moderationis, quid laudis feret Budæus? Malebam sic innocentis laudem auferri mihi, ut Budæo cederet humanitatis & candoris præconium. Quum homines minime stupidi uidebunt in illius scriptis perpetuũ mei nominis silentium, tum morsus aliquot figuratos: contrà in libris meis nihil obliquarum stropharum, sed illum & nominatim, & plenis, ut aiunt, tibijs toties prædicatum, quid apud se cogitabunt? Quid dicent? Quid aliud, c̃q; illum esse mire candidũ, me illius splendore macrescere? Epistolarum opus iamdudũ hic expectamus, sed nescio quo pacto uestra Gallia parum benigniter impartit nobis sua studia. Siquidem cõmentarios Budæi nunc̃q; antehac nancisci potui, donec Basilea nobis eos daret illic excusos. Sed ut finiam epistolam, Tusano iam pridem irasci desieramus, nec aspernor illius amicitiã, si nos huc te autore prouocet. Ne illi quidem pilo sum minus amicus, qui in tam horribili tempestate clauum rectum constanter tenere non potuit. Grammaticulorum nænias adeo contempsi semper, ut oblatas ne inspicere quidem dignatus sim. Videtur fatalis quædã horum temporũ pestilentia, ut sordidissimus quilibet non metuat in quemlibet celebrem aut eruditũ debacchari libellis æditis. Ab hac petulantia quũ ne Cæsarem quidem sua potentia reddat tutum, nimium sim delicatus, si meam sortem ferre nõ possim. Iam sit peculiaris infelicitas mea, quod complures in me unum stringunt calamũ: malo sic esse parum felix, c̃q; si ipse stilum meum multorũ sanguine cruentassem. De Budæo sic habeto mi Brixi, Fortunis illius nõ egeo, gratia superis, nec est animus illum ullis grauare officijs. Potest prodesse famæ, fateor: sed hanc sarcinam lubens abiecero, tantũ abest ut aliquid cupiam adijci. Potest nocere famæ, assueui contumelijs, & sua cuique fata ferenda sunt, tametsi tale nihil ab illo metuo. Si quid est leuioris offensæ, homo sum: noui nõnihil condonare humanis affectibus, plus amicitiæ, plurimũ publicæ studiorũ tranquillitati. Alioqui non sum tam obesæ naris, ut non intelligã strophas rhetoricas: nec imperitus, si libeat ἀντισφέφειν, fortasse nec materia sit defutura. Sed plusq̃ atrox iniuria sit oportet, quæ meũ calamũ in Budæum armare possit. Alibi disertus esse malim. Equidẽ Budęum existimo maiorem c̃q; cui quisquã meæ classis inuidere possit. Principatum in optimis literis illi libenter cedimus, applaudimus pulcherrimũ agenti triumphũ, tantũ abest ut illi studeamus detrahere hærentem capiti multa cũ laude coronam. Sed tamen ut habeat ille dotes primarias, sunt & alijs suæ dotes, nec omnibus idem est institutũ, nec statim deterius quod est dissimile. Nulla uero res magis aluerit studiorum cõcordiam, c̃q; si absit φιλαυτίας morbus, & alienarum uirtutum quisq; sit candidus æstimator. Ego uestram Galliam multis nominibus felicem existimo, primũ quod priscam illam studiorum

gloriam

gloriam ſibi poſtliminio uindicarit: deinde quod ceu Remp. quandã literariam inſtituerit, cui principem optimo iure dedit Budæum, quod'q; ſtudioſi mutuis operis ſeſe uiciſſim iuuant. Vtinã eadem mens ſit Germaniæ noſtræ, in qua ſibi quiſq; ſcribit, ac uix ullum inuenias cui deleges uel exigui libelli recognitionem. Adeo'q; gratiarum cum Muſis ſodalitium diremptum eſt, ut ſi qui ſint inter quos conueniat, factione potius q̃ ſyncera beneuolentia conglutinentur. Verum optarim iſtam ciuitatem patere latius, ut pro Francis haberetis quicunq; Muſarum ſacra colerent, eſſet'q; fœdus ingeniorum, non regionum. Hæc concordia maiorem in modum conduceret, & prouehendis optimis diſciplinis, & bonarum literarum hoſtibus opprimendis. Nondum enim omnino profligata eſt barbaries, habet adhuc præſidia, & alicubi meditatur redintegrare bellum. Eſt utilis inter eruditos concertatio, ſed ab ea oportet omnem amarulentiã procul abeſſe. Quàm uolupe eſt, inter Budæum & Zaſium eſſe concordiam, qui proximo libello Budæum appellat in optimis literis principem. Audio illi & cum Alciato conuenire. De Longolio quid dicam neſcio, niſi quod doleo ſummæ ſpei iuuenem fuiſſe μινιθάσιον, ut dicam ὁμηρικῶς. Non ſatis eſt autem inter literatos animorum eſſe concordiam, ſed refert id omnibus eſſe perſpicuum ac teſtatum, præſertim de his inter quos aliqua contentionis ſpecies interceſſit. Proinde ſi Budęus uolet mederi ſuſpicionibus hominum, rem faciet & amicitia noſtra iam ueteri ſuis'q; moribus dignam. Sin eſt quur hoc nolit, boni conſulam etiamſi plures libros nobis emittat aliquid ſtropharum habentes, modo tanta fruge eruditionis differtos. Epiſtola tua per manus multorũ uolitarat, non reſignata tantum, ſed penè detrita. Suſpicor illam excuſſam ab Euãgelicis fratribus. Iacobo Tuſano multam ex me ſalutem dicito. Budæum item meis uerbis ſalutabis reuerenter, ſi modo is eſt, quem mihi perſuaſeram & priusq̃ tu mihi prædicares. Quorũ utriq; ſi perſuaſeris, & quod tu ſpondes illorũ nomine, ipſi ſcripto profiteantur, eodem officio nos omnes demereberis. Hic ſi libet explica tuam rhetoricam. Alterũ non egebat tua facundia, & hoc mihi pertinere uidetur ad commuem ſtudiorum utilitatem. Rumor hic ſparſerat Badium fato defunctum, Fabrum exuſtum, utrunq; uanũ eſſe gaudeo. Sic apud Biturigas exuſtus erat Eraſmus. Verum ego toties mortuus ſum, toties reuixi, ut exiſtimem uix quenquam crediturum, etiam quum uere deceſſero. Opto tibi perpetuam felicitatem Germane chariſſime. Datum apud Friburgum Briſgoiæ, Nonis Septembr. Anno domini. M. D. XXX.

ERAS. ROT. IAC. SADOLETO EPISC. CARPENTORACTENSI S.

PER omnem ferè ætatem præſul ornatiſſime mihi res fuit cum medicis & chirurgis, ob durũ ac dirum apoſtema, quod umbilicum obſederat. Atq; ut medicorũ ſedulitas magis aggrauabat malum q̃ leuabat, ita chirurgum nactus eram, qui uel apud Scythas immanis uideri poſſet. His rebus factũ eſt, ut ea pars anni quæ maxime frugifera ſolet eſſe, mihi fuerit ſterilis, nec Auguſtano principum conuentui intereſſe licuerit, complurium licet magnatum literis illuc inuitato. Hyems fuit aliquanto fertilior. Nam prẽter apophthegmatum uolumen iuſtum: quod eo conſilio ſumpſimus in manus, ut corporis ingenij'q; uiriculas uehementer attritas quaſſas'q;, paulatim argumento feſtiuiore ad priſtinum uigorem inſtauraremus: enarratus nobis eſt pſalmus trigeſimustertius, non ille quidem à nobis delectus, ſed ab alijs deſignatus, quemadmodum & duo proximi fuerant. Quanq̃ autem nuſquam non mirifice fœcundus eſt diuini ſpiritus fermo, tamen in collatione paucos arbitror hoc uideri ſteriliores, quũ titulus nos multis ſalebris, lamis, ac alluuionibus remoraretur. Cæterum quum prior audacia iam bis non omnino ceſſiſſet infeliciter, creuit animus, & auſus ſum hoc quoq; quicquid eſt lucubrationis ad tuũ

tribunal mittere. Mirabor aũt si quicquam hic tuo calculo probabitur, modo pauli ſper depoſita amici prẹter modum candidi perſona, iudicem agere uoles. Mihi certe nusq̃ ipſe magis diſplicui. Cum primis non dubito quin damnaturus ſis meam illam plus q̃ extemporalem temeritatem, præſertim in argumento ſacro, quam & ipſe ue hementer & damno & odi. Sed immedicabile malum eſt adeò penitus inſitũ, ut niſi cum uita reuelli non queat. Huius igitur unius culpẹ ſi tua placabilitas mihi gratiam fecerit, in cẹteris omnibus libenter adnitar in poſterũ, ut me conformem ad tuũ iudi cium, id quod ut ſcribis, aliqua iã ex parte facere cœpi. Quod tuaꝝ uirtutũ tam par cus ac propè dixerim malignus æſtimator, plena ut aiũt manu tantum laudis in meã effundis mediocritatem, ne credas te prorſus operam ludere: efficis enim, ut et te ma gis magiſq; ſuſpiciam, & ipſe mihi uehementer diſpliceam, reputans me non minus animi modeſtia q̃ cæteris ornamẽtis omnibus longo abs te interuallo relinqui. Sed hæc miſſa facere præſtat, ne quid tuam onerem modeſtiam, præſertim q̃, ut tu uere iuxta ac pie ſcribis, quicquid ſumus aut poſſumus, id totum munificẽtiæ diuinæ ac ceptum ferre oporteat. Nam ut illa, quæ mihi ſingularẽ quendã ingenij tui candorẽ declarant, me nõ corrumpant, hactenus etiam conducibilia, q̃ ſegniciem ac puſilla nimitatem meã ad induſtriã excitant: tamen ex admonitiõibus tuis & liberis & ami cis ut exploratius intelligo tuã erga me beneuolentiã; ita fructũ etiam nõ paulo ube riorẽ capio. Duo ſunt aũt, ut mihi tuis è literis collegiſſe uideor, in q̃bus cuperes me uel cautiorem eſſe, uel certe moderatiorẽ: uidelicet in uellicãdis his, quæ tametſi nõ ſunt pfectæ pietatis, nõ pugnãt tamen cũ uera religione, ueluti ſunt inuocatio diuo rum, & uſus imaginũ. Deinde in refellendis quorũlibet calumnijs, quas tũ mihi aut in totum negligendas autor es, aut ita refutandas; ut nihil ſtomacho datũ eſſe uidea tur. Equidem in utroq; peccaſſe me nunq̃ inficiabor, ac uehementer optarim, ut in multis quod factum eſt fieri infectum poſſit. Certe quod unũ nunc licet, plurima in lucubrationibus euulgatis uel corrigo, uel tẽpero, nõ paulo ſeuerior ſcriptoꝝ meo rum expenſor, q̃ ſuoꝝ fuit diuus Auguſtinus, ad cuius exemplum ſubinde uocor ab amicis. Atq; utinam mihi tempeſtiuus monitor adfuiſſes, aut aliquis tui ſimilis: nũc enim demum experior, q̃ paꝝ mihi contulerint quorundam applauſus, & uoces ac clamantium τὸ ἓν γε ἓν γε. Sed tamen calumniæ quædam eius generis ſunt, ut impiũ ſit ad eas conticeſcere, ueluti quũ in frequentibus concionibus, aut libris æditis tra ducor impioꝝ dogmatũ autor, pontificiæ dignitatis euerſor, ſcripturaꝝ ἀκινήτου ſal ſarius, ſchiſmatis molitor. Mihi neutiq̃ uir pius uideatur, qui hæc tacitus ferat. Iam ut mihi meæ famæ nullus omnino ſit reſpectus, quid minus expediebat ad eccleſiæ tranquillitatem, q̃ hoc pleriſq; fuiſſe perſuaſum, quod illi cõiuratis odijs molieban tur? Cum nemine mihi fuit acris cõtentio, qui uel ingenium modo reprehenderet, uel in moribus aliquid deſideraret. Eruditionis laudẽ cuiuis facilime cedo, moribus nihil aliud eſſe me fateor q̃ hominẽ. Verũ ad extremæ impietatis manifeſtã calum niam elinguem eſſe, quid aliud eſt q̃ crimen agnoſcere? quũ reſpondere etiã leniter ac placide, nõ careat gemina ſuſpicione, uel ſibi parũ bene conſcij, uel ſubdole collu dentis cũ eccleſię perduellionibus. Periculũ enim eſſet ne quis illud M. Tullij ſecum cogitet, niſi fingeres Eraſme, non ſic ageres. Quanq̃ ne hic quidẽ omnibus linguam aut calamum habui. Quoſdam quia ſic merebantur, irriſi uerius q̃ confutaui, nuſq; nõ temperatior his à quibus laceſſebar, ut mea quidem fert opinio. Nam fieri & po teſt & ſolet, ut meo iudicio imponat affectus: atq; is ſum fateor, qui poſſem laceſſi tus incandeſcere, ſed nec iræ pertinacis, & iniuriarum obliuioſus, ut ſi quis alius. At quum libris euulgatis res agitur, minimũ indulgere bili ſoleo. Hoc dictum fortaſſe non prorſus improbares, ſi tibi uacaret, & illorum calumnias, & meas apologias le gere. Sed diui meliora, q̃ ut tu ſanctiſſimis tuis occupationibus tantũ bonarum ho

rarum

rarum decidas, & inamœnis nænijs impartias. Meum porrò ingeniũ q̃ ad iſtas plus q̃ gladiatorias pugnas procliue non ſit, uel hoc indicio liquet, quod multas quidem apologias, ſed nihil aliud q̃ apologias hactenus ſcripſi, nec unam quidẽ inuectiuã. At Cato uir bonus habetur, qui ſæpius accuſauit, q̃ in ius uocatus eſt. Res etiam hoc indignior eſt, quod dum in harena retefalcem' q̃ teneo, aduerſus eos quos iſti uelu-ti capitales pietatis hoſtes omnibus uotis extinctos optant, me pro ipſis magno for-tunarũ capitis' q̃ periculo depugnantẽ à tergo adoriuntur, id' q̃ ſubinde, nunc Stu-nicæ, nunc Sanctius, nũc Latomus, nunc Bedda, nunc Sutor, nũc Clithoueus, nũc Euſtathius, nũc ſcurræ Vincentiani, nũc turmæ monachorũ Hiſpanienſium, nunc Albertus Pius, nũc Titelmanus, nũc Caruajalis: eos taceo quorũ libri uolitant per manus hominũ, nondum uulgati typographorũ opera, taceo uirulẽtas ac uipereas obtrectationes, nec priuatim, nec publice parcẽtes meo nomini. Iam quãto meo di-ſcrimine cũ nouorũ dogmatũ autoribus conflicter, nõ ſatis tutum eſt mi Sadolete literis cõmittere. Atq̃ hic uelim ut mea fides apud te nonnihil habeat ponderis, cre-das' q̃ neminem eſſe quẽ illi magis oderint, aut cui plures ſtruant inſidias. Si legiſti noſtram diatribã, ſi duos hyperaſpiſtas aduerſus uiolentiſſimũ Martini Luteri uo-lumen, ſi ſpongiam aduerſus Huttenũ, ſi libellũ aduerſus Leopoldum, ſi epiſtolã ad Vulturiũ, ſi librũ aduerſus eccleſiaſtas Argentoratẽſes, facile diuinabit tua pruden-tia, quãti mihi conſtet ab eccleſiæ Romanenſis conſortio nolle recedere. Hic rurſus taceo libellos amarulentiſſimos, quos aut non dignatus ſum reſponſo, aut nondum euulgarũt typographi, taceo minaces epiſtolas multo aconito conditas, taceo crimi nationes, & ſubornatas ſycophantias, quæ quãuis excelſum animũ poſſent à tran-quillitate dimouere. Cũ tot portentis conflictari quid ſit, magis intelligere poteris q̃ ſapere, quippe nunc q̃ hoc genus intemperijs exercitus. Nam iſta morum integritas de qua mentiri et fama ueretur, iſta eruditio incõparabilis ἔξω τοῦ φθόνου βελῶν in tuto conſiſtens, denic̃q; iſta tua dignitas autoritas' q̃ procul ſubmouet crabronũ aculeos, canum' q̃ latratus, quib⁹ me mea exponit mediocritas, uel ut uerius dicã, humilitas. Primũ immodicus libertatis amor mihi impoſuit, uidebam honorem ſine curarum onere ſuſcipi geri' q̃ non poſſe. Ad dignitatẽ eam conſequendã magis ipſe mihi de-fui q̃ fortuna. Sed eodem animo quo fugi dignitatẽ, & famæ celebritas erat fugien-da. Hunc errorem meũ ſero cœpi ſentire, nimirũ corpuſculo ſic affecto, ut iam nec aulæ colendæ, ad quã fueram pertractus, nec ulli ſplẽdidæ functioni par eſſe poſſet. Atq̃ interim extitit hæc eccleſiæ tempeſtas, quæ meum caput plane' merſura fuerat, niſi quũ aliorũ principũ, tum uero maxime Caroli Cęſaris fauor me aliqua ex parte ſubleuaſſet. Nam hoc hominum genus, ſi quando cœperit inſanire, nec Cæſaris nec ſummi pontificis autoritate prorſus deterretur. His rebus factũ eſt, ut dũ priſtinos hoſtes, quos reuocatæ apud noſtrates mea potiſſimũ, ut ſibi quidem perſuadẽt ope-ra, bonæ literæ in me excitarũt, placatiores habere nõ poſſum, & aduerſus ſtudiorũ cõmuni fœdere mihi iũctos, ob innouata dogmata protrudor in harenã, utrinq̃ la-pider, & quidẽ impune, utpote nec excellenti doctrina, nec fortunæ ſplendore, nec ulla autoritate munitus, tutior aliquãto futurus, de externis loquor, ſi uel in caſtra nouorũ dogmatũ me cõtuliſſem, uel aulę mancipiũ eſſe ſuſtinuiſſem: à quorũ altero reuocabat pietas, ab altero partim genius meus, partim ualetudo retrahebat. Priuſq̃ hæc opinionũ digladiatio naſceretẽ, erã apud humanioris literaturæ myſtas gratio-ſiſſimus, præſertim in utraq̃ Germania, atq̃ hoc uno præſidio mihi ſatis uidebar mu nitus: nũc nullos ferè habeo infenſiores hoſtes, q̃ quos prius habebã acerrimos pro pugnatores. Ita euenit, ut uelut humi repens animalculũ molle & inerme, nõ ſolum camelis, ſuibus, picis, coruis, graculis, aſpidibus ac uiperis, uerũ etiã ueſpis, cimicib⁹ ac pulicibus expoſitus eſſem. Et qui inter ſe ἀσπόνδῳ πλέμῳ conflictabantur, ad me

lacerandũ concordes, ſocia arma iungebãt. Nec defuerunt Itali, qui Cęſarẽ totam'q; Cæſaris aulam in meũ exitiũ iritarent, & perſuaſerant, niſi literarũ præſidio, æquioris iudicij principes reuocaſſem. Quanq; aduerſus cinctorũ, diſcinctorũ ac palliatorum phalanges, nec Cæſar nec pontifex ualeat quenquã planẽ tutũ reddere. Quid facerẽ? Equus ſe tuetur calcibus, canis dente, bos cornibus, hiſtrix ſpinis, apes aculeis, narce ueneno, colũbis pręſidio eſt uolandi pernicitas: mihi nihil erat præter calamũ, quem ſemp optaram ut perpetuo incruentũ habere liceret. Hoc quoniã fatis negatũ eſt, ad id quod erat proximũ confugi, his tantũ reſpondi, qui uiolentius urgebãt, à nominibus libenter abſtinui, ne quẽ ordinem læderem ſedulo caui, nuſq; non moderatior laceſſente, in ſumma clypeo magis utens q; gladio. Sutori reſpondens nõ alijs tantũ ſed & mihi uideor ab ingenio meo nõnihil recedere. Nec eñ illo quiſquã in me ſcripſit indoctius aut impotentius, quũ eſſet ex theologo Sorbonico monachus Cartuſianus. Quibuſdã tamen reſpondiſſe pœnitet, pręcipue Sutori: minimũ enim obfuiſſet famæ meæ ſi neglexiſſem illius nænias. Idq; facturus eram, niſi cunctantem quidã uir grauis alio' impuliſſet. Neq; raro paterno ſeu potius fraterno affectu illos obteſtor, amice rogo moneo'q;, ut animũ ad ſaniora conſilia recipiant, deſinant'q; dũ me conant̃ opprimere, ſibi ſuo'q; ordini grauẽ tũ inuidiam, tum ignominiam conflare, præſertim apud doctos & cordatos. Tecũ ſentit uir tui ſimillimus Cutbertus Tonſtallus apud Anglos epiſcopus nup Londonienſis, nũc Dunelmẽſis, eandem'q; ferè cantionẽ ſolet occinere, quã tu nunc. Sed nec illi per aulę ſimul et eccleſiæ negotia, uacat laceſſentiũ libellos & eregione meas apologias attentius cognoſcere. Nã conuiuiorũ fabulis aut delationibus credere minime tutũ eſt. Eius tamen iudicio plurimũ tribuo, nec pauca ad illius ſententiã ſum moderatus. Quo nomine tantũ ei me debere fateor, quantũ non alio, quũ illi multis nominibus debeam plurimũ. Tantũ ad eam literarũ tuarum partẽ, qua mones, ut rabularũ latratus aut ſilentio contemnã, aut ita refellã, ut minimũ uidear indulſiſſe ſtomacho. Nolim aũt hæc ita putes à me dici uir optime, quaſi prorſus culpa uacem, tu'q; fruſtra, aut præter meritũ admonueris: ſed ut mihi ſis æquior, facilius'q; ignoſcas, qd̃ hactenus peccatũ eſt. Venio nunc ad alterã epiſtolæ tuæ partẽ, qua prudenter admones, ne nimis acriter obſiſtam popularibus ſtudijs, in his quæ licet nõ ſint abſolutæ pietatis, tamẽ non ſunt cũ impietate cõiuncta, quod genus ſunt, ueneratio ſanctorũ, & picturarũ crebritas. Quid ad te delatũ ſit neſcio: ſed abſit ut uſq; in libris meis damnet̃ ſanctorum ueneratio, aut imaginũ uſus, ſuperſtitioſum aut præpoſterũ diuorum cultũ alicubi taxo: ſuperſtitioſum arbitror, quũ miles ad latrociniũ iturus, ſibi promittit incolumem reditum, ſi Barbarę ſimulachrũ flexis genibus ſalutarit, & in illius honorẽ preculas magicis ſimillimas recitarit: præpoſterũ ſentio, quũ cereolis ac picturis diuos uenerant̃, tota uita cũ illorũ moribus pugnãtes, quũ gratiſſimus diuis cultus ſit, ſi qs illorũ pietatẽ imitet̃. Picturas ac ſigna, ueluti præcipua uitæ ornamẽta demoliri nunq; placuit, quanq; optarim nihil in templis uideri, niſi dignũ eo loco. De inuocandis diuis, & adorãdis imaginibus magna eſt digladiatio. Primũ conſtat nullũ eſſe in diuinis uoluminibus locũ, qui permittit inuocare diuos, niſi fortaſſis huc detorquere placet, quod diues in euangelica parabola implorat opem Abrahæ. Quanq; aũt in re tanta nouare quicq; præter autoritatem ſcripturæ merito periculoſum uideri poſſit, tamẽ inuocationem diuorũ nuſq; improbo, nec improbandam ſentio, modo abſit ſuperſtitio, quã aliquoties noto, nec id ſine cauſa: ſuperſtitionẽ enim interpretor, quũ omnia petunt̃ à diuis, quaſi Chriſtus ſit mortuus: aut quũ hoc animo diuorũ opem imploram⁹, quaſi ſint exorabiliores deo: aut quũ à ſingulis peculiaria quędã petimus, quaſi hoc poſſit pręſtare Catarina, qd̃ non poſſit Barbara: aut quũ illos inclamamus, nõ ut interceſſores, ſed ut autores eorũ bonorũ quæ nobis largit̃ deus.

Hæc

Hæc admonere non arbitror tibi impium uideri, ne ſuperuacaneũ quidem ſat ſcio, ſi prodigioſam noſtratium hac in re ſuperſtitionẽ cognoſſes. Iam grauiori periculo uicina eſt imaginũ adoratio, ad quã nobis adeo nõ ſuffragatur ſcriptura, ut grauiter etiam deterreat. Nam ſi placet ſubtile Scoti commentũ, imagines eadem adoratione adorandas, qua ſunt adorandi quos repreſentant, magnopere craſſi fuerunt illi ueteres, qui tanto ſtudio obſtiterunt, ne quid imaginũ in templo Chriſtianorũ reperiretur. Ad hæc ſi non idem adorandi genus competit imaginibus dei ac diuorũ, quũ populus æque ante diuorũ imagines adaperit caput, procumbit in terrã, adrepit genibus, exoſculatur à cõtactu manus, affricat ſtrophiola, qua tandem nota diſcernes adorationis genus? Quid nunc de illis loquar, qui perinde fabulãtur cum imaginibus quaſi ſenſum habeant, nec ſimiliter affecti ſunt in omnes Chriſti ac diuorũ imagines: ſed ab his ſperant, quod ab illis nõ auderent petere. Hæc quũ ſint nimium uera, tamen nihil pœnę deprecabor, ſi quis uſquã in ſcriptis meis oſtendere poſſit ſimpliciter à me damnatũ, uł diuorum inuocationem, uel imaginũ uenerationem. Hac in re ſi dignaberis & apud alios eſſe ſponſor, polliceor id citra captionẽ ac ſine fraude tua fore. Quod ſi quis tibi ſecus perſuaſit, ſi mihi parũ fidis, quæſo te ut ab his qui deferunt, iubeas tibi cõmonſtrari loca, ea ſimulac inſpexeris, uidebis illorũ tragicas calũnias, nihil eſſe niſi meros fumos ac nebulas. Hæc quũ per ſe leuiuſcula ſint, tuq; de his tam leniter tamq; amanter ſubmoneas, tamẽ immodice modeſtus, audaciam ac temeritatem amicitiæ prætextu deprecaris, immane, quantũ diſſidens à quorundam moribus, qui quũ ipſi tota errent uia, tamẽ tertio quoq; uerbo ſchiſmata & hæreſes crepant. Ego mi Sadolete, à tui ſimilibus uel conuiciis, uel colaphis etiã admoneri æquiſſimo animo feram, tantũ abeſt ut tam blandis admonitionibus offendar, niſi quod hoc ipſum offendit me non admoneri liberius. Nã Cutbertus Tonſtallus cętera par, hoc uno nomine te ſuperat, quod liberius reprehendit, ſi quid in meis diſplicet, utpote propius perſpectũ habens ingeniũ meum, ac mores domeſtico etiam cõuictu rectius cognitos. De inſigni ſacerdotio quod mihi Clemens põtifex te ſuaſore daturus erat, niſi certorum hominũ calumniis retractus fuiſſet in diuerſam ſententiam, pro tua quidẽ propenſa uoluntate gratiã in ſolidũ me debere profiteor: ſed tamẽ quod ad inſtituti mei rationem attinet, nullo detrimento res meas diminutas eſſe puto. Nam ſi talibus aucupiis fuiſſem intẽtus, plus offerebat Cæſaris, regis Angliæ, regis Galliæ benignitas, q; etiamſi eſſem auariſſimus optare poſſem. Poſteaq; mihi cõtigit quod huic corpuſculo fouendo ſufficeret, nihil amplius requirendum putaui, q; ociũ ac tranquillitatem, quũ ſenectuti, tum ſtudiis meis, in quibus decreui quod reliquũ dederint ſuperi uitæ conquieſcere. Quid Clementi perſuaſum ſit, neſcio: illud mihi perſuaſum habeo, ſi ſummo pontifici, tum hic animus meus, tũ ea quæ uel feci uel paſſus ſum perinde paterent, ut patent deo τῷ καρδιογνώστῃ, aliquãto propenſior eſſet in Eraſmũ, q; in quoſdam, qui tumultuoſe clamarũt. Si captaſſem mitras ac cenſus, iam deplorarem operã inaniter ſumptam: nunc non arbitror mihi multũ periſſe fructus, ſi ſummo agonothetæ probaro ſtudium meum. Porro quemadmodũ ingenij tui mirificũ gratuitumq; candorẽ exoſculor, ita non queo ſatis mirari ingenium iſtorũ, qui ſummi põtificis animũ conati ſunt in me calumniis iritare: neq; enim me clam eſt qui ſint: cum altero fuit mihi olim nõ tectum modo ac menſa, uerũetiam cubiculũ & lectus cõmunis, adeoq; à me nulla lęſus eſt iniuria, ut quũ illi res eſſent anguſtiores, cõmendatricibus literis meis nonnihil etiã adiutus ſit, nec uſquam illius in ſcriptis meis niſi honorifica mentio. Quo tamẽ in me fuerit animo, abunde declarat libellus, in quo docet quid ſignificet Hæbreis racha, quem in aula pontificis per manus multorũ uolitantem amicus quidã bona fide deſcriptũ ad me miſit. In eo præter omnem occaſionẽ pontifici ſcribit ſe uehemẽter admirari, quũ in

agricolarum

agricolarum tumultu tot hominum milia trucidata sint apud Germanos, Erasmum adhuc uiuere, qui totius huius tumultus princeps & antesignanus fuerit, qui tempestatem sæuissimam excitarit, qui maria turbarit ab imo. Quasi mihi quicquam fuerit cum uæsano pariter ac misero tumultu rusticorũ, aut quasi non primus omnium instituto seditioso reclamarim, submissius aliquanto, sed tũ opinor prudentius, tum ad tuendam ecclesię concordiam accommodatius q̃ hi, qui uociferationibus, minis ac sæuitia, protinus hoc incendium extinctum iri putarunt: à nominibus tempero, nam in his sunt quidã mihi non uulgari necessitudine iuncti, quos tamen hactenus nihil aliud profecisse uidemus, nisi quod ciuitates & plures & arctioribus fœderibus sese conglutinarunt, & indies conglutinant. Faxit Christus Opt. Max. ut uanus augur reperiar. Attamen si quod abominor, uideris exoriri terrificos orbis tumultus, non tam Germaniæ funestos, q̃ exitiabiles ecclesiæ, memineris hoc ab Erasmo prędictum. Primum erat negligere Luterum cum suis de indulgẽtijs propositionibus, nec oleum addere camino: proximum, nec per monachos orbi ferè inuisos, nec impotentibus apud plebem uociferationibus, aut librorum & hominũ incendijs agere, sed libris inter eruditos duntaxat uersaturis. Postremũ erat illos ad tempus dissimulare ac ferre, quemadmodum hactenus tulimus Bohemos ac Iudæos. Tempus ipsum sæpe remedium adfert malis immedicabilibus. Hæc perpetuo suadens adeò non sum auditus, ut uellem nollem, essem sectarum fautor. Præclarum facinus sibi facere uidebatur ille διπλωματοφόρος, qui quacunq; iret Carolus, chartarum fumis & incendijs implebat omnia, nulli non minitans. Me uero quo minus oppresserit per illum non stetit, perierat Erasmus si pronas aures principum reperisset. Ab hoc præter meritum sum instigatus. Alter ille mihi de facie incognitus, sed eruditionis humanitatis q̃ fama, tum notus tum etiam charus, Romæ nusquam non declamabat in Erasmum, infantem, indoctum, nullo iudicio præditum. Cum eo posteaq̃ expostulassem literis amanter & honorifice scriptis, ille iusto meditato q̃ uolumine respondit, quod ad me nondũ excusum misit. Ex eo facile deprehendi hominem mea non legisse, sed audita delata q̃ scribere, imò ne scribere quidem nisi per conductitias operas. Hoc opus quum Parisijs excusum, sed adiectis nõnullis ad me uenisset, respondi, sed tamen ciuiliter & honorifice, sedulo cauens, quantum ipsa causæ natura patiebatur, ne quid excideret quod illius uel animo merito doleret, uel famæ detrimentum adferret, amicitiam etiam mutuam offerens quam ille deferebat in calce uoluminis. Sed non conquieuit instigator ille primus, nec defuerũt Lutetiæ qui stimulos adderent, præsertim γυμνόποδες quorum sacrum amictum ille triduo quàm moreretur induit, in eo q̃ sepultus est solennibus illius ordinis ritibus, priusquã typographus uolumen absoluisset. Quod mihi nondum uidere contigit, qui uiderũt aiunt ingens esse: in eo per multas operas conductitias collectum est ex omnibus meis lucubrationibus, quicquid improbatis dogmatibus affine quoquo pacto uideri potest. Quanto consultius erat ea decerpere, quæ palàm aduersantur eiusmodi dogmatibus, quorum nullus est numerus. Ita bonus ille uir, infixo, ut dici solet, aculeo fugit, cuius animę precor dei misericordiam, optans ut feliciores reperiat patronos apud summum iudicem, q̃ ipse patrocinatus est Gallo aduersus Cæsarem, aut pontifici aduersus Cæsaris copias, aut sibijpsi in tuendo suo principatu. De Stunica cohercito perlubens tibi debeo, quem scio et ab Adriano pontifice uetitum ne quid in me scriberet: sed posteaquam iam præter annotationes quas in Hispanijs æditas Romæ distraxit, quinq; aut sex libellis ad satietatem usque in me debacchatus esset, minatur etiam nunc nescio quid, nõ iam de fidei, ut ait, dogmatibus, sed de regrammatica. Præter hoc calumniandi genus, habet hoc seculum portenta quædam maleficæ cuiusdam ac uix credibilis peruicaciæ, qui miris cuniculis hoc agunt, ut aut

latronibus

latronibus obijciant Erasmum, aut mœrore cõficiant. Sed hactenus gratia Christo, nec animum a' suo proposito labefactare ualuerunt, nec studijs meis ita multũ detrimenti attulere. Ad psalmum abs te laudatum redeo, posthac sedulo conabor, ut quę scribo, citra exceptionem abs te probari mereantur: qꝑ uereor ut in hoc psalmo sim assecutus, certe spem assequendi nunquam abijciam, posteaq̃ autore te proficere cępi. Etsi soleo duntaxat in hoc scripti genere parcius indulgere stomacho meo, uidelicet in tanta mysteriorum maiestate, memet ad religiosam quandam componẽs reuerentiam. In illo ualde tecum sentio, multorum interpretũ lectionem nonnihil officere, tale præsertim argumenti genus tractanti, multo'qꝫ felicius cedere, si qs perspecta rei summa, totum se permittat arcano spiritui, animum interea non tantum à uitijs, sed prorsus ab externis humanioribus'qꝫ curis auocãs, & in sublimem quendã recessum subducens, ab omni mundanarꝫ cupiditatũ strepitu tranquillum & quietum. Nec leue momentum habet identidẽ interiecta precatio, quę spiritus uigorem alacritatem'qꝫ mire redintegrat. Deum immortalem, quanta esset nostra felicitas, si relegatis opinionum & affectuum dissidijs, unanimes in fertilissimis scripturarũ aruis exerceremur, aut in amœnissimis earꝫ pratis luderemus? si tamẽ ludendi uerbo utendum est in re tam non ludicra. Verum ego conscius impuritatis meæ, nec ignarus quàm incommodum, quàm'qꝫ refractarium organum præbeam opificio spiritus ad hæc tractanda, in quibus ille maxime retrusa philosophiæ cœlestis arcana, uelut in sacratissimo quodam adyto recondita esse uoluit, non sine tremore soleo accedere, in quibus uix quisquam satis religiose uersatur, nisi qui perpetuo uersat̃. Tui uero pectoris tranquillam puritatem primũ mihi deliniauit Nicolaus Leonicus, uir ut apparet integer, & in Platonica philosophia feliciter exercitatus: deliniauit aũt in dialogo quo te de precando perꝫ sancte differentẽ facit: quẽ dialogũ si prius legissem, legissem aũt si huc amici misissent in tempore, meus de orando deũ libellus, aliquanto minus ieiunus, minus'qꝫ humi repens prodisset. Sed animi tui pietatẽ quam illic adumbratam uidi, multo expressius mihi repræsentarunt psalmi tui luculenter enarrati, præcipue posterior, quẽ attentius & ut Græci dicunt ἀκριβῶς legi: utrunqꝫ curassem excudendũ, nisi alij anteuertissent. Iam uix credas quantopere te amem de tuo isto iudicio, cũ mea sententia ualde consentiẽte: Deus inquis omniũ potens, qui tibi labores & solicitudines & affectam ualetudinẽ dat, qui scit an maiore tuo bono id faciat, qꝫ si quietem tibi & molle ocium præberet? Videris me tã penitus introspexisse, ut ipse mihi notior non sim qꝫ tibi. In tot calamitatum perpetuo tenore, nõ alio argumento magis animũ meum subleuare soleo, qꝫ quod reputem hoc expedire saluti meæ. Deus enim pro sua inenarrabili sapiẽtia diuersis rationibus purgat homines ac se dignos fingit, qui uelut egregius choragus uarias ꝑsonas inducit in huius uitæ theatrum, à quo paratum est omnibus præmium, si suas quisqꝫ partes quas ille delegauit decenter agat. Diuus Paulus eremita hoc ipso clarus est, quod uni affixus loco totam ætatem fuit obscurus. Beatus Hilario dum famam fugitat, nusqꝫ locorũ nõ inclaruit. Diuus Antonius eremo & urbibus se partitus est. Nullus horũ quicqꝫ aduersi passus est. Iam quãtum discrimen est, inter Hieronymũ & Augustinũ, inter Chrysostomũ & Basilium, inter Athanasium & Gregoriũ theologum? Ne cæteros cõmemorem, ingenio, fortuna, uitę'qꝫ instituto dissimilimos, pietate pares. Quod si mihi choragus personã humilem & afflictã imposuit, utrũ par est me illi obmurmurare, an partes potius delegatas pro mea uirili sustinere? Dabit ille cuius arbitrio geruntur res mortalium, huic fabulæ bonam catastrophen. Hæc contemplatio facit ut nondum omnino spem abijciam, de his Germanię tumultibus in magnum aliquod ecclesiæ bonum exituris. Nouit enim ille etiam mala nostra in suam electorum'que suorum uertere gloriam ac salutem. Sed quod tu pro tua singulari bonitate precaris

Germaniæ

Germaniæ, multis alijs regionibus precandum est, in quibus non minus sæuit hæc febris, licet minus eruperit. Quod si negocium hoc à tui similibus fuisset curatũ, mitius ubiq; nunc laboraretur. Ferocia quorundam ad se magis q̃ ad Christũ spectantium, exasperauit hactenus, exasperat'q; hodie morbũ. Sed quũ chorago nostro uidebitur, hęc omnia cessura sunt in bonum rei Christianæ. Non es tui dissimilis Sadolete modestissime, dum pro meis in psalmum tuũ annotatiunculis gratias agis. Imo' non tua errata notaui, absit à me tantum arrogantiæ, sed typographorũ, nec ea ipsa in aliud annotaui, nisi ut tu dispiceres. Epistolæ tuæ clausulam legens, uix prægaudio lacrymas tenui, quo magis iuuat ea uerba hic repetere. De me ings, mi Erasme, sic tibi persuadeas uolo, quanq̃ ego tenuis sim, & magnis à fortuna detrimentis mulctatus, nihil tamen me habere, quod non tuum æque uelim esse ac meũ. Neq; in hoc solum, sed in omni tua dignitate atq; fama conseruanda hoc sum animo, ut & spõte per me ipse, & abs te monitus, summam tibi fidem in amicitia ac beneuolentiam semper sim præstaturus. Hæc quoties lego à tanto præsule ex animo profecta, libet comici senis sermonem usurpare, Quàm gaudeo, ubi etiã huius generis reliquias restare uideo. Vah, uiuere etiam nunc lubet. Fortunas tuas imminutas hoc grauius ferro, quod quum eas haberes cum optimo quoq; communes, non tuo unius, sed plurimorũ damno attritæ sunt. Quod ad me attinet, abunde mihi uideor per te locupletatus, dum te tam incomparabili amico frui licet. Mihi quidem perq̃ angusta est res familiaris, sed ut aiunt, pusillis auiculis non multis opus est plumis. Minimo contentus sum, & si quid desit, sunt qui prompte alacriter q; cupiant impartire. Hanc tuam epistolam si quid mihi credis, pluris facio, q̃ si misisses talentum auri magnum. Neq; hæc eò mihi dicuntur, quod isto nomine tibi debere nolim. Imo' libẽs profiteor me tibi non minus obstrictum esse pro his quæ defers, q; pro his quæ iam præstitisti. Bonifacius Amerbachius, in cuius amicitia præcipue conquiesco, homo tam purus, ut in eo nihil reperias næui, nisi q; est immodice modestus, iam duorũ liberorum pater est, sustinet q; Basileæ publicam iuris professionem. Hoc eò te scire uolui, quò illi sis æquior, si forte rarius ad te scriberet q; uelles. Tametsi nõ arbitror illum unq̃ tam occupatum, ut tibi, quem unice diligit, non uacet scribere: sed raro dantur quibus tuto committamus literas isthuc perferendas, quotes'q; tuas post magnum etiam intervallum accepimus, bonæ fortunæ nobis litasse uidemur. Is nobis magno solatio est quoties reuisit Friburgum. Id quod nũc rarius facit metu pestilentiæ, quæ hic pertũ autumnũ hyemem'q; satis proterue lusit, ac nondũ etiã potest desinere. Miror aũt qui fiat, ut quũ hoĩm decreuerit numerus, nihilo secius tamen indies accrescat rerũ charitas. Bene uale. Apud Friburgũ Brisgoiæ Non. Martijs. M. D. XXX.

ERASMVS ROT. ALFONSO MANRICO ARCHIEPISCOPO HISPALENSI S. D.

ORnatissime præsul, pridie huc è Lutetia missus est libellus titulo Ludouici Caruaiali, illic excusus furtim, suppresso loci typographi'q; nomine: nam per senatus ædictum non licet illic quicq̃ excudere non approbatũ: Ego quum nec nomẽ agnoscerem, & libellus miram leuitatem ac petulantiam præ se ferret, suspicatus sum rem esse iocularem, & per subornatum iuuenem agi fabulam. Respondi sic ut riderem potius quàm redarguerem. Aliquanto post uenit libellus idem apud uos excusus simili fuco, cum literis amicorum admonentium ne dignarer hominem ullo responso. Vehemẽter dolui me sero fuisse monitum. Nunc idem iuuenis mittit nobis librum multo petulantiorem, similiter excusum absq; loci typographi'q; nomine, uidelicet præter ædictum Cæsaris. Cum tam ineptis libellis colluctari mihi non est animus, etiamsi prodeant sexcenti: demiror tamẽ ab illo so-

dalitio

dalitio obſeruantium prodire tale ſcribendi genus, quũ regula quam ſub ueſte geſtant plerique, pauci in animo, ſerio deterreat illos ab oĩi detractione. Mihi quidem præter bonam conſciẽtiam, tot ſunt principes, reges, cardinales, epiſcopi, docti, qui non literis tantũ, ſed & honorarijs muneribus ultro delatis gratulãtur ſtudijs meis, ut iſtos tenebriones facile poſſim contemnere: ad ueſtrę tamen Hiſpaniæ tranquillitatem pertineret, ſi clancularius ille typographus daret pœnas, ne ſubinde peccet grauiora, expertus felicem audaciam. Ab iſtis iuuenibus nihil expectandũ, niſi ſtultum ac ſeditioſum. Si ſeniores habent quod adferant pro defenſione ueritatis, exhibeant libellos ſuos antequam ædant. Non ero tibi pluribus moleſtus clariſſime prę ſul. Si Eraſmus tibi uidetur dignus iſta contumelia, tu tamen pro tua æquitate publicæ tranquillitatis curam non depones ſat ſcio. Dominus clariſſimam celſitudinem tuam ſeruet incolumem, ac bonis omnibus florentẽ. Domino meo Lodouico Cornello S. plurimam. Datum apud Friburgum Briſgoiæ pridie Calendas Aprilis, Anno à Chriſto nato M. D. XXX.

ERASMVS ROT. CHRISTOPHORO MESIAE HISPANO S.

IN me quidem nihil eſt ornatiſſime Chriſtophore Meſia, quod ullo pacto cum diuinis Marci Tullij uirtutibus ſit conferendũ, ego tamen quocunq; in numero ſum recta ſtudia pro uiribus adiuuantiũ, iſtud tuum ingenium tam candidum, tam ſanum, tam ſobrij iudicij pluris facio & quemuis Aſię regulum. Cęterum ab ignotis ac ſemotis accipere literas adeo mihi nouum non eſt, ut pene ſit quotidianũ: à doctis, à magnatibus, ab epiſcopis, ab abbatibus, quos ego natos non noueram, ſubinde ueniunt literæ: à regibus, à principibus ac præſulibus ea dignitate, ut nulli poſſint eſſe ignoti, nõ tantum literæ ueniunt, ſed etiam ſplendida munera. A' Cæſare Carolo multas habeo epiſtolas tam honorifice, tam amanter ſcriptas, ut eas pluris faciam & illius in me benignitatem, cui tamen bonam fortunæ partem debeo. A' rege Ferdinando nec minus crebras, nec minus amicas, non ſine munere honorario. A' rege Galliæ quotiens & amplis conditionibus inuitatus ſum? Rex Angliæ & crebris literis ac muneribus ultro miſſis, declarat fauorem ac beneuolentiam in me ſingularem. Nec illi facile cedit fœminarum quas hęc ætas habet optima, Catharina illius regina. Rex Poloniæ Sigiſmundus miſit epiſtolam, cum ipſo munere uere regio certantem. Dux Saxoniæ Georgius crebris me literis appellat, δοὺξ ἄλλως καὶ αὐτὸς. Quid memorem Guilhelmum archiepiſcopum Cantuarienſem, quid Cutbertum nuper epiſcopum Londinenſem nũc Dunelmienſem, quid Ioannem epiſcopum Lincolnienſem, qui præter epiſtolas omnibus gemmis precioſiores, quotannis ueluti tributum amicitię mittunt, nec petenti nec expectanti? Ab Alberto cardinale Moguntino habeo præter literas egregiũ beneuolentis animi monumentum, quemadmodum & à Philippo à Burgundia epiſcopo Traiectino nuper uita defuncto, item à Ioanne Card. Lothoringię fratre ducis. Bernardus epiſcopus & Card. Tridentinus præter honorarium munus id q; non exiguũ, crebro miſit literas tam amicas, adeo q; ſolatij plenas, ut quamuis deiectum animũ poſſint erigere, ampliſſimis inſuper conditionibus inuitans ad conuictum, à quo & hodie literas accepi eadem pollicentes quæ olim detulit, ac fortaſſis ut nunc res ſunt, utar illius oblatis. Archiepiſcopi Toletani ad me literas iã excuſas arbitror te uidiſſe, quid his fingi, quid optari poteſt amantius aut honorificẽtius? Nec defuit illius uel fortuna uel animo digna benignitas. Nuper Guilhelmus princeps dux iunior Cliuenſis Iuliacenſis adoleſcens uirtuti natus, ſcripſit literas amoris plenas, addito poculo magnifico. Antonius Fuggerus ſimul atq; ſenſiſſet me Baſileæ moliri abitũ, miſit uiaticum centum flor. aureorum, pollicens in ſingulos annos tantundem & amplius,

si uellem Augustam me recipere. Vbi respondi id mihi non esse commodum, misit poculum in primis elegans, pignus initæ inter nos amicitię. Ante paucos dies Christophorus à Stadio episcopus Augustēsis, uir tum nobilis tum apprime doctus, itinere septem dierum, nec eo satis tuto, huc se contulit non ob aliud, quemadmodum ipse prædicabat, nisi ut uideret Erasmum, uidelicet hominis umbram. Candorem illius prædico, non mea merita, attulit secum duo pocula regia, cum ducentis flor. aureis, deferens insuper omnium facultatum suarum communionem. Dum hæc scribo, ueniunt literæ à Iacobo Sadoleto episcopo Carpentoractensi, deum immortalem, qua doctrina, qua morum integritate, qua autoritate uiro. Solitus est & ante subinde nos doctissimis epistolis appellare. Exciderat ille, nisi epistola forte tũ redita commonuisset. Nec dubito quin plures nunc nõ ueniant in mentem. Venit interim in mentem Petrus episcopus Cracouiensis, uir summa doctrina pariq; autoritate, eius regis cancellarius, qui suam erga me pietatem, & literis amantissime scriptis, & magnificis donarijs declarauit. In eadem Polonia est Andreas Critius episcopus Plocensis, qui me frequenter & humanissimis literis, & eruditissimis carminibus recreat excitatq;, ne hic quidem ἄσωρος. Habeo cubiculũ epistolis differtum ab eruditis, à magnatibus, à principibus, à regibus, à cardinalibns, ab episcopis: habeo scrinium plenum donarijs poculorum, lagenarum, cochleariorum, horologiorum, quorum aliquot ex puro sunt auro, anulorum magnus est numerus, omnium autem longe maior futurus, nisi pleraq; donata redonarem alijs studia prouehentibus. Et in his qui hæc donant sunt multi non doctrina modo, sed & uitæ sanctimonia præstantes, uelut Archiepiscopus Cantuariensis, episcopus Londinensis, episcopus Augusten. & in primis Ioannes episcopus Roffensis qui fugerat, quemadmodum fugerat & episcopus Vratislauiensis Ioannes Turzo, qui miserat scrinium rebus elegantissimis refertum Antuuerpiam, ubi tum agebam, quũ ego nunq; audissem aut somniassem Vratislauiam aut Turzonem. In huius locũ successit frater, episcopus Olmucẽsis. Et indies accrescit talium numerus, quũ ego nullius benignitatem inuitarim, ingenue præ me ferens mihi satis esse facultatũ ad hanc uitæ sobrietatem, cuius adeo me non pœnitet, ut citius sim aliquid detracturus q; additurus. Et tamẽ tanta est ultronea illorum liberalitas, ut si nulli sint redditus (sunt aũt etiã præter Cæsaream pensionẽ aliquot) hæc sola meis studijs alendis sufficeret. Mediocriũ dona semper reiecí, quoties licuit incolumi amicitia: aut sic accepi, ciuilitatis gratia, ut abunde pensarim. Sunt ut scribis, qui dicunt me nihil contulisse studijs, sunt qui clamitant me seminariũ hæreseon. Et unde hic affectus tot ac talium uirorum, quos nemo non fatetur & acri iudicio pręditos, & toto pectore pietati fauere? At isti graculi studio infelices, decem iam annis nullum non mouerunt lapidem, & hodie mouent in me, apud principũ aulas, apud episcopos, apud pontificem, apud Cæsarem, quid multis? apud maximos & minimos: ubiq; repererunt, qui Erasmum defenderent, patroni inopinati, sæpe etiam ignoti. Qui sunt isti qui sic fauent impietati? qui fauent nihil conferenti studijs? Imò sapiunt & intelligunt uentrium istorũ malitiosam garrulitatẽ. Fateor esse multos qui me præcedunt in hoc argumento laudis, nec mirum est, quum ego primam inuidiam exceperim, uiamq; munierim, quũ nouale repurgare cęperim, ac doleo non esse plures à quibus superer. In hoc enim à me sudatum est. Quod si quis conferat seculũ quod fuit ante annos triginta sex apud nos, cum hoc quod nunc est, intelliget an aliquid literis contulerit Erasmus. Ante annos uiginti nullus erat princeps qui teruntiũ impenderet instituendo filio: nunc nullus est, qui non magno conductũ adhibeat formatorem peculiarem. Reclamabant initio Theologi, sed seniores modo, nec hi tamẽ omẽs: iuniores nostra amplectebant, nũc & Cæsci mitescunt. Nec pauci iam monachi quæ prius damnarãt incipiunt amplecti

plecti. Duo iuuenes Franciſcani proſiliũt in theatrum, nõ minus impudentes q̃ indocti, nec intelligunt quantum malum ſuo ut aiunt iumento, ſuo accerſant ordini. Sed hac de re plenius ſcribam fratri tuo, nũc tantum ago gratias ut debeo maximas, quod non perinde mea ac ſtudiorũ cauſa non dubitaris certamen ſuſcipere, non ſolum cum Franciſcanis, uerũ etiam cum aliquot magnatibus. Cũ monachis uir prudentiſſime cenſeo non decertandum, Dodonæi lebetes ſunt, ſi moues unum, moueris omnes. Sed per magiſtratus typographus ille caſtigandus eſſet, qui contra Cæſaris ædictum, contra R.D. Archiepiſcopi Hiſpalenſis uoluntatem indoctos ac famoſos libellos excudit non addito ſuo nomine. Si primo auſu fuiſſet legitime punitus, non addidiſſet alterũ facinus. Hoc ſi non putant dandũ meritis Eraſmi, dent Hiſpaniæ trãquillitati. Tales enim libelli nec pietati conducũt, nec eruditioni, tantũ ad excitandas rixas utiles ſunt. Veri principes, quoniam ciuiles ſunt, & rerũ periti, quanq̃ interdũ artibus iſtorũ pelliciuntur in errorem, præſertim quũ mea non legerint, tamen cõmodis rationibus facile reuocãtur in meliorẽ ſententiã: id ſi fieri non poteſt, tamẽ non eſt deſerenda uirtutis uia. Eſt aliqd nunc placuiſſe paucis, ſed optimis, poſteritatis erunt æquiora iudicia. Doleo gregem illũ obſeruantiũ, ſic enim uocari amant, à ſimplicitate Franciſci degenerare ad mundũ: nec enim auderent iſta duo loquaces iuuenes, niſi patrum ac fratrũ applauſu confirmati. Nunc hoc agitur ut citra magnam humani ſanguinis effuſionem hoc fatale diſſidiũ moderatis rationibus cõponatur, & iſti ſeditioſis libellis conantur nobis nouũ excitare incendiũ. Nuſq̃ non obtrectãt quibuslibet, ſuo arbitrio mentiẽtes, uociferantur apud imperitos, exemplo multũ alieno à Franciſco, cuius titulo ſeſe uenditant. Nec hactenus tamen aliud profecerũt, niſi quod eruditorum ac bonorum odium in ſe uel excitant uel exaſperant. Quoniam autem inſanabiles uideo, ſuo morbo relinquendi ſunt. Vtinam detur aliquando Chriſtophorum meum complecti coràm & alloqui: id ſi fortuna negabit, animis poſt hac erimus ſemper coniunctiſſimi, nonnunq̃ & literis confabulabimur, quamuis magnis locorum interuallis diſiuncti. Literas tuas Hiſpali datas poſtridie Nonas Ian. accepi. v. Calen. April. Bene uale. Datum apud Friburgum Briſgoiæ. iij. Cal. April. M.D.XXX. à Chriſto nato.

Monachi lebetes Dodonæi

ERASMVS ROT. ANDREAE ALCIATO S.

E Quidem pro meo erga te ſtudio, quod eximĩs animi tui dotibus debetur Alciate clariſſime, non mediocrem cœperam dolorem ex tanta fortunarum tuarum calamitate, uel naufragio potius. Cæterum poſtremis tuis ad me literis effectum eſt, ut intelligam meam conſolationem prorſus tibi ſuperuacaneam fuiſſe, quippe quem illa Rhamnuſiæ procella tam atrox, ut multos Diagoras ἀθέους reddere poſſit, non ſolum non deiecerit, ſed è iureconſulto philoſophum fecerit, imo ut melius dicam, nõ fecerit, ſed declararit. Erat in te nimirum iſta uis animi, ſed eam antea latẽtem fortunæ iniquitas reddidit illuſtrem. Sic dum ignis uim ſuam exerit in aurum, & melius reddit & clarius. Idem uſu uenit fortunæ, quæ dum ſæuit in Alciatum, non miſerum reddidit, ſed uulgarium bonorũ iactura, ueris ac perpetuis animi bonis & ditiorem reddidit & illuſtriorem. Impegit enim nõ in hominem ſiculnum, ſed in pectoris quidẽ ſyncericate aureum, animi uero robore adamantinum. Libet igitur mi Alciate uertere cantionem, & pro conſolatione gratulari tibi tam rara benigniſſimi numinis dona, quæ te reddunt uniuerſo fortunę regno ſuperiorem. Pietatis erat, quod patriæ tuæ potiſſimum bonum ciuem præſtare uolueris: ſed deus uoluit eruditionẽ tuam uelut ex ædito lucere pluribus. Nam uirtutis ſplendor neſcio quo pacto, in ſua cuiq̃ patria ferè obſcurior obtingit, quod Hebręorum etiam prouerbio fuiſſe teſtatum indicat in Euangelio dominus. Zeno ſibi felix eſt

uiſus, quod amiſſis ad Piræũ naufragio mercibus, per fortunam protruſus ſit ad philoſophiæ ſtudium. Perdidit purpuram, & inuenit cunctis opibus pretioſiorem ſapientiam. Te uero non iſto nomine uocabo felicem, quod ut ipſe modeſtiſſime ſcribis, facultatũ omniũ iactura didiceris, hæc fluxa bona, quæ fortunę arbitrio tum dantur tũ eripiuntur, minimi eſſe momenti: Sed nos hoc titulo fortunæ gratias agimus, ꝙ animi tui magnitudinẽ, quem hactenus ſemper ſuſpeximus, reddiderit magis cõſpicuam. Mihi primum hoc argumento collecta eſt mentis tuæ celſitudo, ꝙ in oĩbus ſcriptis tuis nullum usq̃ ſit inuidentiæ ueſtigiũ, nec in quenq̃ amarulentius inuehāris, quũ non defuerint qui huc laceſſerẽt. Nec dubito quin uirtutum tuarꝝ fulgor ſit omnes inuidiæ fumos diſcuſſurus. Vehementer gaudeo apud Biturigas adeo̓ florere legum ſtudia, tametſi cum muſis nondum illis admodum conuenit, ſi uera narrant quidam. Summæ mihi uoluptati fuit, quod ſcribis hoc operæ quo tibi Sucquetum & Vigilium commendaui, prorſus fuiſſe ſuperuacaneum. Vigilius quantũ ex illius coniecto literis, in muſarꝝ uiretis penitius uerſatus eſt. Sucquetus tametſi non infeliciter & ipſe uerſatus eſt in politioribus literis, tamen legum ſtudijs magis aſſedit, nec id ut ſpero facere deſinet, donec uirtute meritam lauream ſuæ Flandriæ retulerit. Habuit patrem & patruum utrumq; iuris prudentia clarum, & aulæ principali cum primis quemadmodum gratioſum ita & grauem, ut hæreditariũ uideri poſſit quod tam feliciter in hoc literarꝝ genere uerſatur. Vigilium de facie nõ noui, e̓ ſcriptis abunde deprehendi iuuenis ingenium, haud mediocris eruditionis frugem de ſe pollicens. Sucquetus amiciſſimi candidiſſimi'q; ingenij eſt. Proinde quum amem utrunq; plurimum, tu perficies ut eos magis ac magis amem. Quicquid aũt uel laudis uel autoritatis habituri ſunt unq̃, hoc Alciato ferent acceptum. Ambobus gratulor ꝙ huc non commigrarint, ſiquidem ea deliberatio Sucquetũ aliquandiu ſuſpenſum habuit. Profitetur hic Zaſius, uir ille quidem magnus, & qualem alterum haud ſcio an uſquam habeat Germania, Sed iam urget ſenectus, neq; adhuc quenquam paratum uideo, qui poſſit eius laudis ſucceſſionem ex æquo capeſſere: tametſi non deſunt, qui iuris prudentiam & diligenter & feliciter profitentur. Me mea quoque Rhamnuſia hac æſtate ſatis inclementer tractauit. Martius attigit, & adhuc languidulum repetijt Aprilis. Ex uentis quibuſdam blandis quidẽ illis, ſed peſtilentiſſimis ortum eſt malum. Initio nihil aliud erat q̃ alui tormina. Succeſſit apoſtema, primũ mobile, mox affixit ſe circa umbilicum. Natura diſcuſſiſſet omnia, ſi à medicis temperaſſem, qui mihi neſcio quo fato ſemper magno fuere malo. Accitus eſt & chirurgus impendio confidens ac promiſſis magnificis, fruſtra admonitus, ex duro apoſtemate conatus eſt reddere hulcus, ac uiolentis emplaſtris tantũ non exanimauit cruciatu. Ita menſes fermè tres egi, ut nec edere liceret, nec dormire, nec legere, nec ſcribere, uix etiã cũ amiculis cõfabulari. Curationis impatientes rupimus apoſtema ferro. Itaq; paulatim reuiuiſcimus, & bona ſpes eſſet ſalutis, ſi p̃ pulices liceret quieſcere, & adeſſet uinum, quale mihi ſuppeditare ſolet dũ uiueret Fericus Carondiletus Beſontinæ eccleſiæ archidiaconus. Nam cũ uernaculis hiſce uillis mihi peſſime conuenit. Gaudeo inter Budæum & te ſartam eſſe gratiã. Nã in me num ſatis æquus ſit etiamnũ addubito, utcũq; ſimulant ac diſſimulãt quidã. Sunt uti ſuſpicor, qui illius animũ in me ſtimulant. Mihi ſatis eſt, quod à me nulla eſt anſa præbita, quur pilo debeat eſſe minus amicus. Luteranorũ hactenus nemo ſtili mucronem ſtrinxit in me, præter ipſum Luterum, qui tamen uno congreſſu fuit contentus. Vbi Argentoratum commigrauit quidam olim ζηλοτύπως Eraſmi ſtudioſus, nunc hoſtis odioſus rens, iam quatuor libellis uelitatus eſt in me: prodijt quintus multorum nomine, ſed nullo certo, quem dixiſſes mulſum aconito temperatũ. Verum nõ ita magni facio quid in me ſcribãt tales. Demiror quis genius inſtiget Albertũ Pium quondam

Carporum

Carporum principem, qui librum unum quem scripsit in Italia, euulgauit Lutetiæ, Beddis opinor gratificaturus: nec hoc contentus, denuo compegit ingens uolumẽ, collectis ex oẽibus meis lucubrationibus locis, qui uideri possint Lutero ansam prębuisse. Nec ista molitur suo Marte, sed habet aliquot pulchre stipendiatos, pręcipue Sepuluelum quendã Hispanũ hominem ut audio doctum, qui totius dictionis est architectus, vt hinc ad Albertum haud ita multum gloriæ sit redituræ. Argumenti summa est, ut persuadeat me totius horæ temporum tragœdiæ fuisse seminariũ. Miror quur uir vt accipio doctus & perq̃ humanus, ab argumento tam odioso famã auspicari uoluerit. Si sic est fatum meum, moderate ferendum est. Longoliũ optassem nobis diutius superesse. Siquidem hactenus quæ scripsit, præter stili nitorem, non multum vtilitatis adferunt studijs. Nam quod me aliquoties contemptim nominat, nihil moueor. Est in illius epistolis ad Guill. Budæũ quædam plena ænigmatis & allegorijs, sed egregie frigidis, quibus te notari prædicãt. In multis eruditionẽ miror, candorem in paucis reperio, quem in te mi Alciate singularem quendã exosculor. Bene uale. Friburgi, anno M. D. XXX.

ERASMVS ROTER. CHRISTOPHORO A STADIO EPISCOPO AVGVSTANO, S.

ORnatissime pręsul, mihi tertium iam mensem cũ morte lucta est. Salutarat me Martius, ab eo malo uix reualueram, & ecce Aprilis postridie paschæ excepit me multo inclemẽtius. Cœlo nihil erat blandius neq; serenius, spirabat Euroaquilo superne, sed à prandio spirabant inferne ventuli quidã Etesijs nõ absimiles, blandissimi sed sceleratissimi. Senseram insidias, & aliquãdiu pomeridianis horis me domi continui. At postridie paschæ, quum domi nullum omnino flatum sentirem, prodij, & ilico captus sum. Primũ erãt alui tormina, & hinc uomitus, stomachi ruina, insomnia, summa lassitudo. A medicis nihil adferebatur opis, nõ artis uitio, sed hoc corpusculũ non fert ullam uiolentiam. Tandem sedatis cruciatibus ingens apostema obsedit umbilicũ, durũ in initio. Adhibitus est chirurgus, qui contra medicorũ sententiam pollicitus est effecturum sese ut erumperet, quod nec ego credebam fore. Complures dies enecauit me malagmatis exulcerãtibus, usq; ad uitæ tędium. Totas enim noctes peruigilandum erat, non sine perpetuo cruciatu. Interdiu nec legere potui, nec scribere, nec dictare, nec colloqui, nec audire recitantẽ. Interim corpusculum exarescens tendebat ad mortem. Ante paucos dies uisum est apostema ferro rumpere. Quæ illinc erupit lerna? deũ immortalem, homines talem thesaurum corpore tegere, & uiuere? Post hac mitius habere cœpimus, cum somno reditum est in gratiam, stomachus paulatim reuiuiscit, lassitudo decrescit, at sensim. In ea afflictione solatij plurimũ attulit mihi tuæ celsitudinis epistola, candoris, humanitatis, & eximiæ cuiusdã erga me pietatis plena. Quem fauorem si promererer, uel tuo unius iudicio me beatũ existimarem: nunc apud me pudore suffundor, quoties tuũ istum in me animum, quoties benignitatem effusissimam cogito. Quotidie uotis ardentissimis deum comprecor, ut suo spiritu Cæsaris & principum animis suggerere dignetur consilia reipublicæ Christianæ salutaria, per q̃ Cæsaris summã potentiam & potentiæ parem pietatem, fatalem hãc & humanis præsidijs insedabilem tempestatẽ in tranquillum uertere dignetur. Adest isthic Card. Campeius, sedis Apostolicæ legatus, qui me semper singulari fauore prosecutus est. Scripsit ad me ex Oeniponte, cuius literis ob morbum serius respondeo. Hoc amplitudinem tuã nõ sine causa scire uolui. Archiepiscopus Cantuariensis iam ad extremam senectutem peruenit. Si nõ attigit, certe proximus est anno octogesimo, sed magis arbitror excessisse. Alioqui semper hactenus prospera ualetudine, nunc ut fertur, adhibuit

tertiam tibiam. Spero equidem illum mihi superstitem fore, sed timeo: si quid secus acciderit, animus est tuã celsitudinem in illius locum surrogare. E duabus Angliæ pensionibus debentur quotãnis plus minus ducenti floreni, sed ea pecunia per negociatores ad me peruenit accisa, nonnunq; usq; ad quartã partem, interdũ & intercipitur. Si quid humanitus acciderit archiepiscopo, nihil mihi penderetur. Flandrica pensio quã habebam ex præbenda resignata, inaudita perfidia mihi cœpit intercipi per eum cui credideram omnia, uitam etiam crediturus. Tantum ualet amor pecuniæ. Ex Cæsaria pensione absens teruncium non recipio, uix reuerso quicq; daturos arbitror, utcunq; iactant me magnificis promissis. Ita futurum arbitror, ut Erasmus breui redeat ad paupertatem euangelicam, à qua tamen adhuc mediocri absum interuallo, gratia superis. Et si res ita postulet, parsimonia censum augebimus. Hactenus enim multa profudimus non necessario. Non tamen est quod metuas, ne tibi grauis cliens futurus sim, qui Cantuariensem adeo non grauarim, ut nõ semel oblatam illius liberalitatem recusarim. Vtinam liceat aliquando moribus tuis humanissimis & eruditione multiplici propius frui. Libet hinc aliquò prouolare, nõ q; quisquam mihi molestus sit, sed quod in oppido non inamœno quidem illo, uer; nec magno, nec admodum frequenti, ad hæc semoto multa desiderent qui multis egent. At non uideo portum. Quod si exoriatur bellum, nec tutum fuerit hic manere, nec aliquò proficisci. Sed de his uiderit dominus, qui tuam pietatem sospitet ac prosperet in omnibus. Friburgi, natali Ioannis Baptistæ. M. D. XXX.

ERASMVS ROT. GEORGIO SAXONIAE DVCI S.

ILlustrissime princeps, ante complures dies scripsi Simoni Pistorio celsitudinis tuæ cancellario. Sarcinula quam Gualthero Lypsiensi commiseras initio Ianuarij, mihi reddita est in fine Aprilis grauissime ægrotanti. Nam morbus qui tentarat in Martio, repetijt me postridie paschæ, tam uiolentus ut nec edere, nec dormire, nec scribere, nec legere, nec recitãtem audire, nec cũ quoquam colloqui liceret. Si sarcinula uenisset ante nundinas, fuisset mihi gratissimum. Non libenter legi iugũ illud nominũ, Dux Georgius & Martinus Luterus in eadem pagina. Multum addit animorum illi præferoci, q; sic impune debacchatur in principes. Nusquam mihi magis displicuit q; in illa apologia, in qua de nihilo excitat tibi de furto, si superis placet, tragœdiam. Quantũ illic amarulentiæ, quanta uafricies, quanta impudentia detorquendi ad calumniam omnia? Citat Hieronymum querentem de his qui scriniis ipsius effractis suffurabantur schedas, quasi T. C. quicq; simile fecerit, qui epistolam per multor; manus iactatam accepisti. Quàm seditiose exaggerat, quod Ioanni duci Saxoniæ, ac senatui Norembergensi uolueris imperare, quũ in tuis literis nullum sit uerbum imperiosius. Quàm impudenter uult idem uideri, tacite apud se cogitare quippiam, & alteri loqui seu scribere: quũ ex cogitatione nuda nullius fama lædatur, ex epistola ceu colloquio nascatur rumor. Quàm absurde citat, ecclesiam non iudicare de occultis. Imò occulta tormentis exquirunt leges, & ecclesia iubet ut impias cogitationes aperiamus sacerdoti. Denicq; quũ nihil conuiciorum omiserit, fingit se parcere C. T. minitans nisi desinas se proruptur; uasis acidi fundum. Quoties inculcat te hostem esse, quũ toties tam amanter inuites illum ad resipiscẽtiam? Postremo, qua fungitur autoritate, tradit te cũ omnibus tibi quoquo modo fauentibus satanæ: sed homo misericors mox soluit nodum, quem nexuerat, id q; nec pœnitenti, nec agnoscenti culpam. Deum immortalem, quantũ ista discrepant à spiritu euangelico. Centum libri aduersus hominem scripti non perinde alienassent animum meũ ab eo atq; illa inuectiua. Nusquam magis agit hyperbolum. Non est illi nouũ sibi pugnantia scribere. Quum q; docti quidam illi loca eiusmodi

ingesserint

ingesserint in os, homo suauis obticescit, quasi sint indigna responso scilicet. Palino diam de bello Turcico nisi, quasi nũc alia sit Germania q̃ pridem fuit, aut quasi deus nunc quoq; nõ uisitet peccata nostra per Turcas. Quod si hæc causa ualet, phas non esset ullam calamitatem à nobis depellere, non pestilentias, non bella, non latrocinia, non rusticorũ incursationes. In concione de bello aduersus Turcas, Turcæ imperium facit perpetuum & inuiolabile, nobis nihil relinquit præter atroces calamitates & patientiã. Me non deterreret, licet ut scribis ætate decrepita, quo minus conferem manus cũ homine, nisi toties re compertũ esset nihil aliud proficiscitemus crabrones. Et iam pridem ab istiusmodi furiosis libellis libenter abstineo, senectutem meam consolans sacrorum uoluminum lectione. Ad Calendas Ianuarias emisi epistolam aduersus eos qui se falso iactant euangelicos, quũ nihil sint minus. Ea re commoti quidam, duos libellos bene dentatos emiserũt in caput meum, quos ego nec legere dignatus sum hactenus, tantum abest ut parem responsionem. Ediderunt nouum dogma, phas esse fucis & mendacijs uti ad propagandum euangelium, (sic appellant sectam suam) id'q; iactant permitti legibus Cæsareis: quasi si quid humanæ leges permittant in re prophana, idem liceat in negocio euangelico. Concedunt hoc leges, sed citra fraudem cuiusquam. Hic insimulantur innocentes & inficiuntur incauti. Assiduis uotis deum solicito, ut Cæsari cæteris'q; principibus suum spiritũ impertire dignetur, ut hæc prodigiosa lues, si nõ penitus tolli, certe mitigari queat, ijs'q; cõsilijs res agatur, ut uincat non pars, sed ueritas. Bellum horreo, cuius uarius est euentus, nec minus lædit bonos q̃ malos. Oportet inquit Paulus, hæreses esse. Hæreticorũ impietas olim cessit in magnum ecclesiæ cõmodum, exercuit illius doctrinã, & aperuit qui uere crederẽt, qui non. Tam eximia Cæsaris pietas mihi spem bonam facit fore, ut dominus per illius potentiam magna ex parte medeatur huic fatali malo: quod quomodo consilijs aut præsidijs hominũ sanari possit, non uideo. In epistola tua ad Luterũ pag. C. facie priore lapsus est scribæ aut typographi. Nam Augustinus nunquam adhæsit Arianæ sectæ, sed Manichæorum, ac rursus nõ nisi ante baptismum. Siquidem catechumenus scripsit in Manichæos. Hoc igitur exemplum nihil ad Luterum pertinet. Dominus illustrissimam celsitudinem tuam tolpitet ac prosperet in omnibus. Apud Friburgum Brisgoiæ postridie natalis Petri & Pauli. M. D. XXX.

ERASMVS ROTEROD. SIMONI PISTORIO S.

QVum maxime sæuiret morbus, scripsi tibi per Henricum quendam, qui uidetur minus suo functus officio. Tantum eas literas uidetur reddidisse, in quibus erat commendatus. Illustrissimus princeps nullas quæstiones inseruit proximis literis. Sed tuę tractabant nonnullas dubitationes. Quibus respondere prolixum esset, & mihi uidetur ad seditionem tendere si quid nouetur absque publica autoritate. Menses aliquot grauissime ægrotaui, primum aluitorminibus, unde uomitus ac stomachi ruina, & hinc extrema debilitas. Succesit apostema sceleratissimum, umbilicum occupans. Ruptum est ferro, manet tamen duricies, unde metuo nouam tragœdiam. Nam chirurgus præter naturam, in duro apostemate, quod frigidis erat dissoluendum, calidis & acribus malagmatibus fecit hulcus. Adhuc repo & paulatim reuiuisco, nondum liberã medicis ac chirurgo. Absit, ut ego istius inextricabilis tragœdiæ me faciam Aristarchũ, utrinque pessimam gratiam reportaturus. Vtinam deus dignetur esse Aristarchus, qui solus potest huic fatali tragœdiæ finem imponere. Quod si Cæsar imperat ut Augustam ueniam, necesse est ut prius imperet huic malæ ualetudini. Cum tali Thrasone quid agi possit, non uideo. Scis omnem historiam, Obserua dissimulanter

quid moliatur, & si ducem implerit mendacijs, fac utirem cognoscat. Duci nuper scripsi per canonicum cognomento Rina. Bene uale patrone singularis. Friburgi VII. die Iulij. M. D. XXX.

ERASMVS ROTER. NICOLAO OLAHO SECRETARIO MARIAE REGINAE S.

ANimum istum tuũ humanissime Nicolaẽ lubens exosculor, tuum nomen inter præcipuos amicos adscripturus. Optimæ reginæ pietatem & humanitatem singularem frequenter mihi suis literis deprædicauit Henkellus, cuius autoritas apud me plurimum habet ponderis. Cęterum reginę nomine ad me nulla uenit litera, nec ipsius nec aliena manu scripta. Si ueniſſet epistola, fuisset mihi in molestissima ualetudine magno solatio. Ignosce breuitati, adhuc tenellus sum, & scribo multis. Sereniſſimæ reginæ precor omnia fausta læta q; Bene uale. Friburgi VII. die Iulij. M. D. XXX.

ERASMVS ROT. IOANNI VLATTENO S.

SIue scribis, siue non scribis, scio Vlattenum esse Vlattenum. Tot legationibus ac negocijs exercitum fuisse, iuuabit olim. Dux Iuliacensis iunior misit poculũ cum literis. Quid illic agerem non uideo hac ualetudine, quæ uelis equis q; quod aiunt, fugit aulas. Ex diutino morbo paulatim reuiuiscimus. Et omnino de migrando cogitamus, sed nullũ uideo portum satis tranquillum. Dominus sine me dabit Cæsari reliquis q; principibus salubria consilia, mihi humili non tutum est talibus admisceri negocijs, in quibus si quis quid liberius aut æquius dixerit, statim audit Luteranus. Cupio te q; optime ualere uir animo meo chariſſime. Friburgi IX. die Iulij. M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS LVCAE BONFIO S.

IEonici libellum legam perlubenter, scio enim à uiro doctissimo sanctissimo q; nihil proficiscI nisi doctum & sanctum. Quod hortaris ad comitia, Catonis illud obijciam, ad cõsilium ne accesseris priusq; uoceris. Et si maxime uocer, alligat hic ualetudo. Nec uideo quid ego infimæ sortis homũcio possim in negocio tam perplexo, ad quod expediendũ uix synodus οἰκουμενικὴ triennis sufficerit. Quid, quod nec tutũ nobis est hic hiscere: si quid ęqui dixerimus, statim audimus Luterani. Nisi res per magnos ex omni prouinciarũ consensu agatur, nihil egerint: sed ab ea synodo submouendæ sunt omnes humanæ cupiditates. Pro tuo in me animo habeo gratiã, & mutuũ polliceor bona fide. Vale Frib. IX. die Iul. M. D. XXX.

ERASMVS ROTEROD. FRANCISCO DILFO S.

STipulę innitebaris mi Franciſce, cum tantum tribueres meis epistolis. Ab archiepiscopo Toletano iam abunde magnum accepi præmium, nec est quod ista res te solicitum habeat. Quæ mittes ad Coclenium, quando huc uenient? Citius uenirẽt, si mitteres Augustam ad Antonium Fuggerum, nec dubiũ quin ad consilium eant multæ legationes, currant q; ueredarij. Vinum abs te aduectum, quũ primo gustu sic arrideret, mire imposuit nobis: simulatq; cœpimus serio bibere, mutauit colorem, saporem & odorem. Martinus Polonus hac de causa profectus est Besontium cum uiginti coronatis, sed guttam nõ attulit. Officialis & thesaurarius aberant legati ad regem Galliarum, cæteros Polonus ἀπλῶς affirmabat esse meros nebulones. Ita laborauimus grauiter quatuor ferme menses, nondũ firmi. Hæc ad epistolam abs te scriptam Calend. Aprił. & per ueredarium missam. De reliquis fac aulico more, mitte exemplaria duplicia, & amicos admone ut idem faciant. Quum ego maxime ægrotarem, Quirinus meus subito correptus est sudore Britannico,

Britannico, nec alium habebam. Nam Cannius redierat in patriam amore libertatis, iam factus sacrificus, ac nobis fausta læta'que precaturus. Haio repetijt Frisiam. Bene uale Dilfe charissime. Friburgi IX. die Iulij. M. D. XXX.

ERASMVS ROT. ALFONSO VALDESIO S.

NOn possum non uehementer dolere sortem tuam Valdesi charissime, qui simul & parentem optimum, & parentis affectu patronum Mercurinum Gattinarium amiseris: sed animus offirmandus est ad omnia quę possunt homini accidere. Nos quoq; dominus dignatus est inuisere, paulatim reuiuisco, sed quoniam chirurgus in duro apostemate uiolẽtis malagmatis induxit hulcus, quod ita sanatum est ut maneat duricies, uereor ne recurrat malum. In medio morbo, famulus meus quem unicum habebam, nam alter reuocatus est in patriam, sudore pestilenti correptus est, qui mihi & in cubiculo & in mensa perpetuo adfuerat. Sed dominus est, faciat quod bonum est in oculis ipsius. Bene uale Valdesi charissime, & post istam tempestatem expecta serenitatem. Nil adhuc accidit tibi noui. Amisisti patrem, id quotidianum est. Gattinarius diu uiuere non poterat, in caducum parietem inclinabas. Scias hunc hominem quantus quantus est tuum esse. Bene uale rursum. Friburgi IX. die Iulij, M. D. XXX.

ERAS. ROT. D. CONRADO VVIRCENBVRG. ECCLESIAE ET ORIENTALIS FRANCIAE DVCI S.

NVlla unquam commendatio cessit felicius ornatissime præsul, q̃ illa qua tuę celsitudini paucis uerbis Mariũ ecclesiasten, & Stibarũ collegij tui canonicum cõmendaui. Quandoquidem tuis ex literis intelligo, nõ solum illos tibi factos chariores, uerum etiam me quoq; prius ignotum tantam inisse gratiam, ut commendatorem inter tibi cõmendatissimos habere dignatus sis: nec satis habueris epistola tam candida mihi gratias agere, contra quàm fieri solet: nam mos est, ut quorum commendatio ualuit, ipsi gratias agant ijs apud quos ualuit: nisi etiam amicissimi animi symbolum ac μνημόσυνον apud me deponeres, quum talis epistola à tam eximio principe, tam honorifice, tam'que amanter scripta, mihi quamuis magni muneris loco esse potuerit. Nec suffecit animo isti tuo munus qualecunq;, sed plane' regium donare uoluisti, magis reputans quid te deceret dare, q̃ quid Erasmum accipere. Auget doni precium, quod nec promerito, nec ambienti, ac ne expectanti quidẽ ultro detulerit tua benignitas. Quo maiorem gratiam eius nomine me tibi debere profiteor. Siquidem quæ dantur benemeritis, mercedis nomen mereantur citius quàm beneficiorum: quæ precibus extorta sunt, ea magno empta scripsit Seneca. Quæ promissa diu torserunt, expectatione magnam suæ gratiæ partem amiserunt. Verum pro his demum quæ prius uenerunt, quàm uentura suspicaretur qui accipit, solidam debemus gratiam: quæ etiam si exigua sint, tamen animus dantis reddit ea pretiosissima. Scribit Homerus non esse reijcienda deorum munera, ego uero talium principum spõtanea dona, ceu sacra quædam monumenta apud me libenter seruo, ac ueluti protestimonijs ostendo, quibus me non mediocriter ornatum arbitror: ijsdem interdum me ipsum consolor aduersus quorundam inauspicatissimorum hominum prauitatem, qui nec de benemeritis bene loqui possunt, nec his benefacere à quibus beneficentia sunt prouocati. Quid igitur supereſt amplissime præsul, nisi ut nostrum singulis magnifice gratuler: Mario ac Stibaro, auctam tanti principis beneuolentiam: mihi, cui tam feliciter cesserit audacia, ut non solum non offenderim improbitate, uerum etiam gratiam nõ mediocrem inierim, in eorum numerum quos tu dignaris amicitia tua cooptatus. Sed & tibi suspiciende præsul, non minus gratulor istum animum, in tanta

dignitate

dignitate modestissimũ, in tanta fortunæ indulgẽtia incorruptum, in tot negocior̃ undis nihil æque cordi habentem, atq; ecclesiæ catholicę cõmoda. Ea nunc tot fluctibus iactata planè tui similibus naucleris eget, qui nõ grauent̃ priuata cõmoda Christi gloria posthabere. Itaq; sic sibi persuadeat tua celsitudo, Erasmum quantus est, in ipsius ære esse, neq; quicq̃ magis optare, q̃ dari sibi occasionẽ, qua vicissim grati clientis animũ vtcunq; testificari possit. Neq; enim me minus oneratum tuo beneficio q̃ honoratũ arbitror. Nec tamen exonerari cupio, uel quia debeo tali præsuli libenter, uel quia perspicio me prorsus non esse soluendo, etiã si facultatum mear̃ omniũ atq; etiam capitis huius fecero auctionem. Sat habeo si quo argumento declararo, mihi reponendæ gratiæ uoluntatẽ non deesse. Dominus Iesus R. C. T. sospitet prosperet'q;, quũ in omnibus, tum in sedandis his ecclesiæ tumultibus. Neq; enim desperandum est. Grauiores olim ætate diui Hieronymi pertulit, & uiuit etiamnũ Christus, qui uerbo sedat mare quamlibet fremens, atq; exitiũ minitans. Nos tantum excitemus eum precibus, ac bonis operibus uellicemus, donec expergiscat̃, iubeat'q; tempestatem hanc consilescere. Hanc gloriam sibi uult tribui, non nostræ prudentiæ. Datũ apud Friburgum Brisgoiæ postridie Laurentij, M. D. XXX.

ERASMVS ROT. CHRISTOPHORO EPISC. AVGVST. S.

EOdem die quo celsitudinis tuę postremas literas accepi, miserã isthuc nuncium meo ære in hoc proprie conductũ. Tuas tertio die Augustæ scriptas reddidit rusticus quidã, dicẽs se Augustæ accepisse à filio cuiusdam piscatoris. Id quo casu acciderit nescio. Vereor ne reliquæ sint interceptæ. Nã Corycæi nusq; nõ vigilant. Paulatim euado firmiusculus, nisi q̃ pulicũ improbitas nos tantũ nõ enecat inquietudine. Pergrata mihi fuit tua obiurgatio, q̃ scripseram me tibi nõ fore grauem clientulũ. Declarabat em̃ constantissimũ in amicitia animum, cui vtinã aliqua ex parte queam respondere. Libellis quos emittunt sectarum πρόμαχοι, etiã minant̃ nobis, tantũ abest ut pacẽ ambiant. Tres cõditiones quas recensęs, meo iudicio, nulla religionis iactura concedi poterant, sed minime credo sectar̃ proceres illis fore cõtentos. De cerebrosis & capitosis, scio tuã sublimitatem extra reptilium morsus esse. Nihil tamen est quod non moliant̃ isti crabrones, & si credimus apologis, etiam in cœlum subuolans scarabæus ultus est aquilam. Præfationem in Chrysostomum iam absolui. De Iacobo Fabro Stapulensi suspicor esse fabulam, ni id nuper accidit. Nam ad festum ascensionis è Lutetia recepi literas, nec ullus uel huc uel Basileam rumor aduenit de illo tristior. Ante complures menses exusserunt quendam Lodouicũ Berquinum, uirum optimũ ut prædicant, nec erat Luteranus. Odiũ theologorum ac monachorũ, libera lingua, simplicitas & huius comes fiducia perdidit hominẽ. Ea uti suspicor, fuit rumoris occasio. Nam Faber ut Enoch, assumptus est à rege Gallorũ, qui uetuit ne quis uel in illũ uel pro illo scriberet. Id opinor procuratum ab eius patrono episcopo Lodouensi. Dominus amplitudinem tuam prosperet in omnibus. Friburgi postridie Laurentij. M. D. XXX.

ERAS. ROT. PETRO EPISCOPO CRACOVIENSI S.

EXhilararunt animum meum tuæ literæ reuerende præsul, quæ tuam R. celsitudinem & superstitem declararunt & nostri memorem, deniq; nostram in dedicando Seneca propensam uoluntatem boni cõsuluisse. Sed hoc gaudium temperauit Martini Slapi oratio, referentis te à diutino periculoso'q; morbo nondum satis confirmatum. Cæterum è proximis amicorum literis expecto lætiora. Vernis hisce mensibus spirarunt hic uentuli mire blandi, sed exitiales. Multis conciliarunt languorem, non tam grauem quàm tenacem. Me torminibus

alui

alui tantum non enecarunt. Diutino cruciatui succeſſit apoſtema circa umbilicum. Male ceſſerat medicorꝫ cura, ſed peius chirurgi ſedulitas, qui durũ apoſtema, quod moderate frigidis erat diſcutiendum, igneis emplaſtris ſic aduſſit, ut carnem atſam geſtare uiderer. Poſt quatuor menſes uix cœpi reuiuiſcere, & ad hũc uſqꝫ diem paulatim uiriculas accreſcere ſentio. Hæc igitur æſtas nobis penè fuit ſterilis, niſi q uni-co libello rixamur cum pſeudeuangelicis, & Chryſoſtomum dedimus ea dignitate, qua prius dedimus Auguſtinum. Multa acceſſerunt prius nunq̃ ędita, uelut cõmentarij in utranꝫ ad Corinthios epiſtolam, aliaq;. Si continget hanc hyemem trãquillam agere, dabimus nonnihil iuuandis ſtudijs commodum. Martinus Slapus conſtanter eum animum in me declarauit, ut ſi ex me natus eſſet, nõ poſſem optare plus pietatis in filio, ingenium uerecundum, ſedatum, patiens, amicum, fidele, modeſtũ. Quo genere natus ſit neſcio, ſed utinam tales ſemper gignerent principum uxores. Is niſi me fallunt omnia, præſtabit aliquãdo bonum uirum ueſtræ Poloniæ. Hoc eo ſcribendum putaui, ut ſi qua ſe dederit opportunitas, tua celſitudo faueat illius commodis. Eadem ſi quid à me fieri uolet, ſuo mancipio imperabit, cui precamur omnia læta. Datum apud Friburgum Briſgoiæ poſtridie Cal. Septemb. An. M. D. xxx.

ERASMVS ROTER. IVLIO PFLVG GEORGII DVCIS CONSILIARIO S.

SApienter ab antiquis dictum eſt, uir clariſſime, ex malis ſi quid ineſt boni, decerpendum eſſe. Ex illius de quo ſcribis negocio, quanq̃ alioqui moleſtiarum pleno, hoc capio commodi, quod tui notitiam nactus ſum. Nam mihi uideor in literis tuis uelut in ſpeculo quodam perſpexiſſe pectus iſtud tuũ, gratiarum ac muſarum & omnis honeſtæ eruditionis domicilium. Cum primis autem exoſculatus ſum, quum mirificum animi tui candorem, tum uero eximiam ingenij ſanitatem. Eam mihi declarat oratio tua, undiqꝫ ſibi cohærens, nihil uſqꝫ habẽs aſperum aut hiulcũ, aut affectatũ, aut intempeſtiuis ſenſiculis ineptũ. Vix autem credas, dum tuas contemplor uirtutes, quantopere mihi diſplicuerim: ueꝝ hæc alias. Libenter tibi debeo pro iſta in me pietate, qui tam ſedulo meæ tranquillitati conſultum uelis. Atq; utinam efficere poſſis, quod pariter optamus ambo. Ego enim iam pridem in hoc nugone planè lupum, quod aiũt, auribus teneo, quem neq; ut amittam, neq; uti retineam ſcio. Vtinam ſibi perinde amicus eſſet atq; ego ſum. Sed utcunq; cadat iſtius negocij alea, amicitiam inter nos initam confido fore perpetuam. Quod ſi pro tua ſingulari humanitate nõ faſtidis infimæ ſortis amiculũ, enitar ſedulo, ne quid cõmittam gratijs indignum. Illud aũt in primis abs te petendum, ut has extemporales ſchedas boni conſulas. Eas cõmiſimus præfecto arcis Briſacẽſis. Nõnihil etiã uereor ne hæ uos Auguſtæ nõ reperiant. Si cõtinget uos iſthic cõmorari diutius, ſcribã aliquanto accuratius. Bene uale. Friburgi Briſgoiæ. x. die Octobr. M. D. XXX.

ERASMVS ROT. LEONARDO OFFICIALI BESONTINO S.

PRofecto quanq̃ à nonnullis inuidiæ cauſa rhetor appellor, conſumpſi colores omneis excuſandæ importunitatis meæ, q uiris alias occupatiſſimis, tum de quibus nihil unquam ſum meritus, non deſinam meis petacibus obturbare literis. Sed quis pudori locus, ubi ea urget neceſſitas, quę frequenter huc perpellit, ut homo comedat hominem? Stomachus nullum fert uinum Germanicum. Homerus ſcribit duriſſimum eſſe mortis genus, mori fame: ego durius eſſe puto, mori ſiti, cui periculo nunc proximi ſumus. Ante menſes aliquot emandaram iſthuc iuuenem quẽdam nobilem Polonum, is quoniã uos iſthic non offendit, redijt huc uacuus. Nunc mitto familiæ meæ miſerrimæ columẽ. Nolim uos grauari

ullis im

ullis impendijs, iam toties expertus ueſtram benignitatem, nummorũ affatim tra-
didi. Hoc agendum, ut nanciſcamur uinum aptum nobis, id quod uel per famulum
tuum fieri poterit. In monte Pellicardi nullum habeo mihi uel leuiter notũ, alioqui
non eſſem ueſtræ ciuitati moleſtus. Ad Cal. Septemb. accinctus eram ad repeten-
dam Brabantiam, ſed per aulicos Cęſaris iuſſus ſum manere uſq; ad exitum concilij.
Nec ſemel me pœnituit obſequij. Nunc hyems urget, nec tutum eſt è nido prouola-
re. Quapropter oro te, ut nunc modo ſerues Eraſmum, in poſterum prouidebitur
ne uobis cogar eſſe moleſtus. Nõ te morabor amplius. De rebus nouis ſcripſi Fran-
ciſco theſaurario. Bene uale patrone incõparabilis. Friburgi prid. Lucæ. M.D.xxx.

ERAS. ROT. ANTONIO DALBONO ABBATI INSVLAE BARBARAE S.

CVm oblatus eſſet qui Lugdunum peteret, huc rediturus, nõ putaui com-
mittendum, ut ad te ſine meis literis ueniret. Itaq; tuam epiſtolam quã at-
tulit theologus Mallarius, relegẽdo ex uetere mihi feci nouã, geminam'q; ex ea uoluptatem cępi. Nam tota ſpirabat & ſummã humanitatem, & eximiũ quen-
dam pectoris tui candorem: Ne quid de me dicam, quem Mallarius pro ſui ingenij
benignitate tibi perſuaſit eſſe aliquid. Porro' quæ de lucubrationibus meis prædi-
cas, non ſine rubore legi: uehementer tamẽ optarim eas eſſe tales, ut poſſint nõ om-
nino indignæ uideri uirorum tui ſimilium auribus atq; oculis. Iam duo ſunt de qui-
bus nõ arbitror eſſe neceſſe ut me tibi purgem accuratius, ſi tuum ingenium ſatis ex
epiſtola tua perſpexi. Mallarium ſcio, frigidiſſime excepi & talem uirum & tam di-
ligenter abs te cõmendatum. Verum hæc ualetudo me cogit, ut in totum ab hoc of-
ficiorum genere temperem, adeo' ut quũ nuper huc ueniſſet Chriſtophorus à Sta-
dio epiſcopus Auguſtenſis, uir non ſolum natalium imaginibus illuſtriſſimus, ue-
rum etiam eruditione exacta cæteris'q; epiſcopo dignis uirtutibus ornatiſſimus, nõ
ob aliud, niſi ut uideret Eraſmum, adferens ſecum munus honorarium, quod nõ in-
decorum fuiſſet quamuis potenti regi dare magnati: multo frigidius hominem ac-
cepi cũ Mallarium, quippe quem nec ad conuiuium, nec ad poculum inuitarim, nec
ſæpius cũ bis mei conueniendi copiam fecerim. Odi ego hanc non inhumanitatem,
ſed inhumanitatis ſpeciem. Verum aut hoc ferendum incommodum eſt, aut negli-
genda uita. Interdum forticulus conor agere bellum hominem, ſed mox præſto eſt
Ate. De altero crede mihi iuſtiorem eſſe excuſationẽ, cũ tu quoq; uelles ſat ſcio. Se-
ptem iam menſes exierunt, quod amplitudinem tuam nullis literis compellarim.
Vtinam hic nihil aliud cauſari liceat, cũ tabellariorum inopiam, cũ ſtudiorum occu-
pationes: ſed ab eo languore qui me dum hic eſſet Mallarius cepit, uix ſub Aprilem
reualueram, quum ſubito uenti quidam blandiſſimi, ſed nocentiſſimi morbum re-
uocarunt. Primum erant alui tormina, cruciatus morte crudelior. Succeſſit apoſte-
ma ſubter umbilicũ. Hinc mihi res fuit cum medicis & chirurgo immaniſſimo. Nec
erat finis futurus, niſi ferro uentrem incidiſſemus. Hoc genere mortis Diuus Eraſ-
mus peregit martyrium. Cũ hoc malo quinq; fermè menſes luctatus ſum, à quo ſic
tandem dimiſſus ſum, ut me mihi reddiderit imbecilliorem. Vtinã mihi licuiſſet tua
tempe, tuam'q; inſulam, nomine magis cũ re Barbaram inuiſere. Talem enim ſedem
iamdudum circũſpicio, in qua mea ſenectus iam & laboribus & rixis laſſa conquie-
ſcat: inuitor à multis, ſed neſcio quo arcano ſenſu in Galliam inclinat animus, non
uini cauſa tantum, quanquam & hoc eſt aliquid. Nam hac æſtate minimum abfuit,
quin ſiti perierim, homo minime biboſus. Beſontium commigraſſem, ſed ob diſſi-
dium quod tum gliſcere ferebatur inter magiſtratum et canonicos non expediebat.
Lugdunum ſæpe geſtiebam, ſed deterrebat partim itineris longitudo, partim nihil

iſthic eſſe

isthic esse parati, partim bellũ, quod ferebatur existere inter Sabaudos & Bernates. Certũ erat ad Calendas Septembris isthuc demigrare, nam hic præter rerũ necessariarũ summam uel charitatem uel inopiam, & sequit mala pestilentia, & bellum timet euangelicum: sic enim libet appellare. Sed id temporis uenerunt ex aula Cæsaris literæ admonentes ne quo pedem ante exitum concilij: si quid esset a bello periculi, se in tempore monituros. Eandem cantionẽ cũ multi canerent, parui, & pœnitet obsequij. Interim enim occupauit hyems, & pestis immanissime grassatur, nec adhuc satis liquet, quę futura sit huius conuentus catastrophe. Zuingliani non impetrarũt ut audirentur. Luteranis concessum est ut exhiberent suos articulos: his ubi paucis esset responsum, Cæsar pronunciaret. Cũ nihil conueniret, principibus aliquot ex utraq; parte delectis datum est negotium, ut si qua possent, dissidium componerẽt. Cũ a pluribus nihil ageretur, sex eximijs delegatũ est negocijũ. Res propemodũ deducta erat ad concordiam, nisi q; Luterani principes nihil audire voluerunt de restituendo & ablegandis sacerdotũ vxoribus. Denicq; Cæsar pronunciauit, vt ciuitates quæ noua dogmata recepissent, se conformarent ritibus aliarũ ecclesiarũ: ad id datũ est spaciũ sex mensiũ, hoc est usq; ad idus Aprileis. Principes euangelici offensi sunt duobus verbis sentẽtiæ Cæsarianæ, alterũ erat q in ea ipsorũ sodalitas diceret sectã; alterũ q adiectũ esset, quanq; Luteranorũ doctrina sufficienter ex diuinæ scripturæ fundamentis fuit cõfutata. Hoc non tulerũt, dicentes se non solũ credere, uerũetiam scire suã doctrinam niti fundamentis euangelicis & apostolicis, id q in conspectu Cæsaris magna confidentia. Eam vocẽ indignissime tulit Cæsar. Illi redierũt ad sua. Nondũ prodita est extrema sententia, quanq̃ non latet qualis sit. Iam em̃ numerant̃ principes & ciuitates, quæ velint hærere Cæsari, quæ sectis. Hæc quorsum euasura sint deus nouit, sed interim tamen hæc serio fiũt. Cæsar accepit coronam a pontifice nulla cerimoniarũ parte omissa, nisi q Romæ res acta non est. Ferdinandus institutus est archistrategus Austriæ, designandus breui & Romanorũ rex, solennibus cerimonijs. Turca misere tractauit Austriam, nuper etiam Morauiam, moliturus crudeliora, ni deus prospexerit. Sunt qui minant̃ & Anglorũ regi, q vxoris repudium meditetur. Ab his malis Galliam vestrã immunem esse gaudeo, atq; vtinam sit perpetuo. Certe nullã mallem mihi supremã dari senectutis sedem. Pecunia non admodum egeo, homo paucis cõtentus: tranquillum portũ desidero, quandoquidem Germaniæ tumultibus solus deus poterit finẽ imponere. His literis si dignaberis rescribere, magno me solatio affeceris. Si Mallarius queret̃ se nihil accepisse literarũ, existimet has sibi quoq; scriptas esse, quando taliũ certe amicorũ communia sunt oñia. Vos ambos incolumes seruet Opt. Max. Christus. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, V. Cal. Decemb. M. D. XXX.

ERASMVS ROTER. MATHIAE KRETZERO ECCLESIASTAE AVGVSTANO. S.

EGo uero non modo sim inhumanissimus, uerũetiam Christiani nomine indignus, si te qui prior ad amicitiam prouocasti, non redamarem. Complures iam annos quidam improbe mentiti sunt, mihi per omnia cum Lutero conuenire, non quod hoc omnes sibi persuasissent, sed quod eum rumorem perdendo Erasmo putarent accommodum. Nunc ab ea spe delapsi, commenti sunt alium colorem, Erasmum huic tragœdiæ seminarium ac fontem esse. Hoc etiam nunc mordicus tenent. Albertus Pius quondã Carporũ princeps, ante duos annos in hoc argumentũ uelitatus, nunc idem serio tractat conductis operis, quæ ex oñibus meis lucubrationibus collegerunt, quicquid ad calumniam detorqueri potest. Idem pontificis in me animum si minus alienauit, certe refrigerauit. Opus excu-

ditur à Badio. Vetus est, de consule fieri rhetorem, nunc uidemus è principe fieri, pe nè dixerim, sycophantam. Hoc organum præcipue mouet quidam sibi felix, eccle siæ infelix, quum Pius nec sibi, nec alijs fuerit felix. Certum est post hac istiusmodi sycophantijs esse mutum. R. Præsulis Augustani pectus plusquam aureum iampri dem exploratum habeo. De nostro amico non queo satis mirari. Si hoc uenenũ diu gestauit in pectore, miror potuisse dissimulare: sin nuper concepit, demiror unde hauserit, qui antehac nullam iniquioris animi significationem dedit, imo aliquoties per cõmunes amicos me iussit amanter saluere. A me certe nunq̃ læsus est, quin po tius amabam hominis ingenium. At si uera scribunt amici, nemo unq̃ in me furio sius debacchatus est. Fuit isthic quidam omnium Thrasonũ alpha: Is ut suspicor, ei camino suggessit oleum. Hæc uix licuit scribere uir absolutissime, alias copiosius. Friburgi. XI. Calend. Ianuarias. anno, M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. GEORGIO SAXONIAE DVCI S.

IAm olim quidem compluribus argumentis perspectum habens illustris simæ tuæ celsitudinis erga me propensum fauorem, & intelligebam & pro fitebar me illi plurimis maximis que nominibus obligatum esse. Ver nu per grauioribus etiam nominibus me sibi reddidit obligatiorem, præcipue duobus. Alterum quod, ut ex literis. R. D. Christophori episcopi Augustensis accepi, tuam in Erasmum beneuolentiam apud aliquot ecclesiæ proceres, inter quos erant cardi nalis Campegius, & card. Leodiensis, dignatus es profiteri. Quo quidem testimo nio arbitror ornamenti dignitatis q̃ meo nomini non parum accessisse. Alterum quod tam amanter, tam q̃ sollicite dederis operam, vt senectę studijs q̃ meis ocium tranquillum parares ab eo, cui pro delectamento est mihi negocium facessere, lite rarijs q̃ commentationibus obstrepere. Quod tuæ sublimitatis studium, utcunque cætera casura sunt, hoc certe nomine mihi fuit felicissimum, quod hac occasione na ctus sum amicitiam uiri omni decorum genere ornatissimi, Iulij Pflug. Cuius simi les vtinam quàmplurimos haberet Germania. Mihi quidem multis de causis quies non solum optatissima est, verum etiam necessaria. Sed si hanc personam deus hu manæ fabulæ choragus mihi imposuit, partes delegatas agam oportet. In hac hare na mihi uideo moriendũ esse, nam vt isti uiui conquiescant nihil est spei. Nullus est annus quin duos tres ue libellos in caput meum eiaculentur pseudoeuangelici. Pri uatas molestias facile cõcoquerem, si publicus ecclesiæ status haberet vt uellem. Pa cata est Italia, Gallia Cæsari nodo vt aiunt, Herculano fœderata est. In Hispania ni hil est tempestatis. Negocium Britannicum de repudio facile citra tumultum com ponetur, vt audio, ut q̃ noui regis ingenium. Cum Turca sperantur inducię, quod quidem existimo non tantum ad reipublicæ commoda, uerumetiam ad Christi reli gionem propagandam esse conducibilius. Si deus huic febri Germanicæ mederi di gnaretur absque bellis intestinis, sperare liceret aureum quoddam seculũ. Tot iam diu flagellis afflicti sumus, bellis, tumultibus, pestilentijs subinde specie mutãtibus, summa charitate rerum atq̃ etiã penuria, nec solet dominus irasci in fine, sed in ira recordari misericordiæ, tantum ut nos toto pectore conuertamur ad illum, in eum vnum figentes ancoram spei nostræ. Non erat animus illustrissimam celsitudinem tuam hisce literis interpellare, nisi suam operam ultro detulisset generosus adoles cens, mihi q̃ tum ob eruditionẽ haud vulgarem, tum ob morum integritatem etiam domestica consuetudine perspectam in primis charus & amicus Andreas Conritz, qui cum fratre suo Erasmio repetit patriam, relicto hic altero germano Christopho ro, qui & ipse diligenter ac feliciter in iurisperitorum literis exercet ingenium. Pre cor ut illustris. C. T. incolumem ac florentem nobis rei q̃ publicę seruet Opt. Max. Christus

Christus. Apud Friburgum Brisgoiæ Idibus Martijs. Anno à Christo nato M. D. XXXI.

ERASMVS ROTER. IVLIO PFLVG. S.

SI inter nos susceptum esset eloquentiæ certamen Iuli præclarum Germaniæ decus, profecto literarum tuarum erudita facilitas & decora iucunditas, ac felicissimus quidã perpetuus q; Tullianæ dictionis fluxus, me à rescribendo deterruisset. Id esse uerum ne me putes rhetoricari, quantũuis sancte deierare non dubitem. Sed quoniam nec hanc ætatem, nec theologum decet anxia poliendi sermonis cura, non uisum est affectare, quod assequi nullo modo possem, etiamsi omnes neruos intendero. Proin tua fretus humanitate, ausus sum ex tempore, meo q; more quicquid in calami cuspidem uenerit chartis illinere: quod nunc etiam maiore uenia facio, cũ eodem tempore plures sexaginta scribendæ sint epistolæ, & in his aliquot, quæ iusti prope uoluminis instar habent. Pro laudibus quas tibi tuo merito tribuo, non est quod mihi gratias agas, aut benignitatem meã prædices, quũ iustius sit, ut utriq; Deo, cuius munificentia est, quicquid in nobis est laude dignũ, gratiam habeamus: quem precor ut suam in te benignitatem semper in maius ac melius augere dignetur, quando quod hactenus tibi concreditũ est, tam non maligne quũ amicis omnibus, tum uero reip. potissimũ impertis, uidelicet nõ ignarus in quẽ usum tot præclaras ingenij naturæ q; dotes ille tibi fœnerauerit. Quod uero tua bona sic extenuas, nihil aliud efficis, q; ut magnificentius etiam de te sentiam, utpote ueræ minime q; fucatæ uirtutis notam agnoscens, quæ nihil moratur hominum laudes, sed ad eas ceu uirgo quæpiam intacta, rubore suffunditur: nec est ulla tutior uerorũ bonorum custodia. Quod polliceris te si non cæteris uirtutibus, certe gratitudine fide q; meo de te iudicio responsurũ. Gratitudinis uocabulũ non agnosco, de fide lubens audio, quanq; nihil addubitaturus, etiam citra promissum. Tua de principis erga me studio propensa q; uoluntate mihi iucunda fuit magis q; necessaria testificatio. Tot argumentis illius in me non modo beneuolentiam, sed & pietatem iã pridem exploratã ac perspectam habeo. Itaq; mihi nihil æque persuasum est, q; quicquid in hac causa fecit, ab amicissimo profectum animo fuisse. Nec ob id pilo minus me illius humanissimę celsitudini debere puto, quod res in diuersum cessit. Animos spectare decet, non exitũ. Quare quod tam diligenter persuadere niteris illustrissimo duci nihil aliud fuisse propositum, q; ut dum meam senectutem ab his turbis asserit, & studiorũ meorum tranquillitati, & publicæ, ut ais, utilitati consulat, honestam tu quidem uir egregie, sed superuacaneam operã sumis. Quod aũt scribis, hoc actũ, ut ille præcisa materia litis mihi negocium non facesseret, aut si facesseret, id ei sine fraude non esset &c. Ad hæc alia q; huius generis arbitror te non desiderare responsum, si modo schedæ quibus ad tuam priorem epistolam rescripsi, tibi redditæ sunt, aut si eas tua lectione dignatus es. Nec enim me fugit, q; non capiantur eiusmodi rixis ingenia generosa. Quod si nemini persuadeo monstrosas quorundam delitias, quid mihi superest, nisi ut euangelico clypeo memet obarmem patientiæ? Cũ tot em monstris mihi res est, ut iam debuerit animus ad ista occalluisse. Sed piget hariolorũ næniarũ meminisse. Posteaq; hoc fato natus sum, iuuat in tui similium uirorũ amicitia conquiescere, quos habeo non tam paucos q; multi sibi persuadent. Tuæ uero necessitudinis accessionem, si quid mihi credis, pluris facio, q; si contigisset sacerdotiũ quamlibet opimum. Ad eam alendam non arbitror opus esse multis officijs, sat erit si subinde mutuis literis excitet. Si quid tamẽ erit in quo queam animõ tuo aut etiã tuorũ gratum facere, nihil erit quod non & alacriter & libenter sim præstaturus, modo fuerit in mea potestate, si uel abs te monitus fuero, uel si sese dederit opportuni-

tas. Legi uero quam fers, sanè & lubens subscribo, ut in amicitia nostra velut iam legitimis auspicijs inita, iustis'q; numeris confirmata, laudum reciprocæ uices, excusatio stili neglectioris, & si quid aliud est huius generis, id omne posthac sublatũ sit. Vt illustrissimo principi me reddas commendatiorem, quanq; existimo superuacaneũ orare, oro tamen, nec ob aliud nisi quod id summopere cupio. Vale. Apud Friburgum Brisgoiæ prid. Idus Mart. Anno à Christo nato, M. D. XXXI. Vt liberius ad te scriberem in causa fuit Andreas Conritz, iuuenis imaginibus clarus, & in iurisperitorũ literis diligenter exercitatus, mihi cum fratre suo Christophoro domestico conuictu notus spectatus'q; est, atq; etiam mensæ communis, salis'q; religione fœderatus. Eum arbitror tibi notum esse; aut si notus non est, quæso te ut ne pigeat cognoscere propius.

ERASMVS ROTERODAMVS LAZARO BAYFIO ORATORI REGIS GALLIAE S.

SVmmam uoluptatem eam'q; geminam mihi peperere tuæ literæ Bayfi ornatissime, partim quod legatũ agis excellentissimi principis nomine, id'q; in urbe præter alias innumeras felicitates, etiam uiris eruditissimis ac bibliothecis locupletissimis florẽtissima: partim quod nec istius muneris dignitas, nec occupatio negociorũ tibi Erasmi memoriam excusserit. Illa uerba tuis in literis non sine risu legi, Ad magnum illum Erasmum: qui titulus haud quadrat in hoc corpusculum, minus in fortunã, minime in ingenium. Sed tamẽ istuc modestius, q; quod Zasius nunquam exorari potuit, ut desineret me ter maximum appellare. Cæterum quemadmodum fateor me tuas epistolas sæpe desideraſſe, posteaq; unis literis ingenij tui gustum mihi præbueras, ita nunq;, ut ais, te cessatorem appellaui, quẽ etiamsi nihil scriberes, sciebam nec in amore, nec in officijs unquam cessare. Qui mihi hoc quoq; nomine, uulgari hominum genere uidere felicior, q; felicitatem tuam agnoscis. Quid à superis maius exoptare poteras, q; q; à regijs negocijs literarum ocium tueri licet, quod'q; ut scribis, ocium contigit cum dignitate? Mearum autem rerum statum cum tuo mi Bayfi, prorsus ex diametro pugnat. Mihi enim negociũ est absq; dignitate, nisi quod meum esse duco quicquid obtigit candidis amicis. Quin & literis gratulor, quas Franciscus regum Opt. Max. non sat habet à philobarbarorũ petulantia uindicare, nisi eas ad tantam prouehat dignitatẽ, ut suopte fulgore tenebriones obstreperos facile submoueant. Gaudeo quod meditaris esse trilinguis. Heliam non noui, Egnatium hominem non minus humanũ ac probum q; eruditum Venetijs amaui, id q; ni fallor, mutuũ. Lazarum Bonamicum opinor me uidisse Patauij in ædibus Marci Musuri, qui iam tum iuuenis plurimum & eruditionis & humanitatis præse ferebat. Vtinam deus aliquis mihi det, ut in tam felici contubernio possim hærere. Nam hic rerum procœmia nobis minitãtur bellum egregie funestũ, nisi numen aliquod propicium scenam rerum humanarũ inuertat. Benedictus bona fide tuas literas reddidit: sed idem reddidit cõmentariolum de uasorũ generibus, cuius pridem in literis ad me tuis spem feceras, unà cum libello de uestibus, locis aliquot tua manu castigato. Sed quũ appendix illa præterq; quod erat indiligenter ab amanuensi tuo descripta, uideretẽ etiam imperfecta, non ausus sum typographis committere. Cæterq; quoniam ille constanter asseuerabat te librũ in hoc tradidisse, ut si uellem hic excuderetur, perlegi non indiligenter, & si quid comperissem amanuensis inscitia cõmissum, emendaui, Frobenio'q; cõmisi. Quod si mihi Benedictus dedit uerba, confugiam ad humanitatem tuam, culpam pœnam'q; deprecaturus. Sin uero nec ille fefellit, nec tu offensus es, erit quod gaudeam. Nihilo secius integrum tibi est, opus tuo arbitratu absoluere, atq; istic excudẽdũ curare. Lazaro meis uerbis ut

multam

multam salutem annuncies oro. Nam Egnatio ipse nũc scribo. Bene uale uir clariss. Datum apud Friburgum Brisgoiæ III. Id. Mart. Anno à Christo nato M.D.xxxi.

ERASMVS ROT. BAPTISTAE EGNATIO SVO S.

INcommode mihi, ne dicam infeliciter accidit, quod incuria pueri tui epistola mea cui respondere parabas accuratius, non fuerit ad manus. Nihil enim potuisset animo meo obtingere iucundius, q̃ prolixius Egnatij mei colloquiũ. Cum Budęo nunq̃ in gratiam redij, ne quid mihi frustra gratulere. Faxit deus, ut ne redeam unq̃. Nunq̃ enim in illũ secus fui affectus, q̃ bonum gratum'q̃ uirũ esse par est, erga hominẽ excellenti doctrina clarũ, de'q̃ studijs ac studiosis omnibus bene meritũ. Si quid fuit offensæ, q̃d ipsum aut omnino nullũ aut q̃ leuissimũ fuisse reor, à me quidem ortum nõ est, sed ueneficarũ linguarũ susurris ac fascinis procuratũ. Tametsi Budęus uir & probior est & humanior, q̃ ut acriter etiã lacessitus in quenquã odiose stringat calamum. Et ego sum is, qui in tales uiros ęgre possim incãdescere, licet acerbe prouocatus, modo me sinant esse Christianum. Ad hanc solam contumeliam, lenis esse nec possum nec debeo. Illud acute perspicis esse fati mei, quod multorũ acerbis inimicitijs sum exercitus, quum maxime semper habuerim in uotis, ne cuius cruore meus rubesceret stilus. Eius rei sat signi est, q̃ inter tot meas apologias nulla est inuectiua. Hoc me fato natum leuius fero, q̃ si à multis lacessitis apologias totidem extorsissem. Non est fas θεομαχεῖν. summo illi chorago, cuius arbitratu humanæ uitæ fabula agitur, parendum est. Is quos uult, & qua persona uult producit in theatrum. Si te uoluit esse Mitionem, me Demeam, suas quisq̃ partes sustineamus oportet. Nouit dominus quid cuiq̃ expediat. Hostes habeo plures q̃ uellem, fateor: sed contra non paucos habeo amicos, dignitate, autoritate, doctrina, morum integritate præcellentes. Nec hactenus mihi quisquam exhibuit negocium, nisi aut cerebrosus, aut inuidus, aut arroganter indoctus, aut ex calumnia uenans gloriam. Id'q̃ successit nonnullis. Vix alius me fuit amicorum factionibus ditior, priusquam hæc dogmatum digladiatio nasceretur. In qua mihi libebat quietem agere, sed non licuit. Volens nolens protrusus sum in harenam gladiatoriam, nec ab hoc munere uideor unquam rudem impetraturus, quum à nulla re magis abhorreat meus genius. Tolerabilior erat mea cõditio, si cum una hostium acie esset confligendum. Nunc cum una turma cominus pugnantem, a' tergo adoriuntur illi ipsi pro quibus dimico, ut hoc pugnæ genus Gerionen quempiam, aut ἑκατόγχειρα requirat, aut certe aliquem ex eo hominũ genere, quod olim fuisse narrat Aristophanes apud Platonem, gemina facie, quaternis brachijs & totidem cruribus. Hoc ne suspiceris Egnati meæ naturæ uicio accidisse, rem a' primordijs repetam. Iam pridem apud nostrates incredibilis digladiatio fuit, inter melioris literaturæ Græci'q̃ sermonis cãdidatos, & inter Rabinos personatos, qui cœlum terræ miscere maluerunt q̃ aliquid nescire uideri. Hic si non uexilliferum, certe strenuũ militem præbui. Cum hæc concertatio maxime ferueret, exortum est hoc opinionum dissidium, quo nũc orbem concuti uidemus, uereor'q̃ ne, ni deus auerterit malum, uideamus atrociora. Hic qui in musarum castris meruerãt, plericq̃ ne dicam omnes, semet adiunxerunt ei qui nouæ factionis fuit autor. Id quoniam ipse facere recusabam, in periculum ueniebam, ne prorsus ἄξιος & ἄφιλος remanerem. Hos tamẽ satis æquos habui, donec sperarent me prudenter dissimulantem, suo tempore ad partes accessurum. Verum posteaq̃ impar inuidiæ coactus sum in eam factionẽ eius'q̃ ducem ferrum acriter stringere, ut quisq̃ antea fuerat iuratissimus amicus, ita uehemẽtissimus hostis esse cępit. Nec licuit interim illis placatioribus uti, aduersus quos pro linguis ac bonis literis gnauiter steteram, qui mundo persuadere conati sunt,

hoc religionis incendiũ non posse restingui, nisi simul & oppressis literis humanioribus & harum fautoribus, inter quos præcipuas tribuunt Erasmo. Ita factũ, ut amicis destitutus, utrinq; petar omni telorum genere, adeo' non defensus ulla uel dignitate, uel autoritate, ut à cimicibus quoq; lædar impune, nisi quod hactenus fauore Cæsaris utcunq; substiti. Quanq; hoc quoq; malim, q; uel alicui sectæ dare nomen, uel his adulari qui sub Christi titulo nihil aliud q; mundanam tyrannidem sibi parare & constabilire nituntur. Quibus adeo' fuit dulcis gustatus agricolarum sanguis, ut totius Germaniæ sanguinem sitientes, nullum non moueant lapidem, ut utranq; Germaniam & superiorem & inferiorem ad intestina bella concitent: nec uident id si fiat, non minus fore pernicioſum ecclesiæ, q; populo funestum. Ipsi interim in tuto publicę calamitatis spectatores, cum Nerone canent τὴν Ἅλωσιν. Ad exitiale bellum adhuc tendunt omnia proœmia. Si meis consilijs initio fuisset obtemperatum, iam aut consopitum esset hoc malum, aut certe non adeo late diuagatum. Nunc nihil restat, nisi ut in primis mutata in melius uita, à' domino petamus auxilium, potius q; ab armis. Sub huius belli prætextu mundus Iudæis & hæreticis inundabitur. Vtinam dominus aperiat oculos principum. Quum simplicitatem meam nominas uir prudentissime, planè uomicam tetigisti meam. Quicquid malorum per omnem uitam accidit mihi, simplicitati meæ acceptum refero, quam hactenus ne tot quidem malis admonitus possum dediscere. Quum'q; alijs interdum possim recte consulere, ipse nescio qua ui fatali nõ desino ex meo ingenio cæteros æstimare. Plurimam uero tibi gratiam habeo mi Egnati, qui sic me diligis, ut mea incolumitas te tam solicitum habeat, tam præclare de me sentias, ut ecclesiæ plurimum referre putes Erasmum esse sospitem, quorum alterũ tuæ pietatis est, alterum candoris. Siquidem ex tribus quæ tu commemoras, ueteris necessitudinis quæ mihi tecum fuit Venetiæ, non sine uoluptate recordor, uirtutem excellentem opto magis q; agnosco, eruditionem agnosco quidem, sed adeo' non eximiam, ut infra mediocritatem esse fatear. Literæ sic efloruerunt, ut Erasmus inter ἀναλφαβήτους censendus fuerit, nisi hæ opinionum rixæ transuersim incurrentes turbassent omnia. Zasius ualet ac te resalutat, simul cũ hoc Henricus Glareanus, qui hic summa cum laude literas optimas profitetur, uir multifariam eruditus. De Chrysostomo uideo tibi ab amicis data uerba. Si quid tamen obtinget, rogo mittatur Frobenijs. Opus quidem iam exijt, sed parant unum uolumen addere, quum primum licebit. Bene uale. Apud Friburgum Brisgoiæ III. Idus Mart. Anno à' Christo nato M. D. XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS IACOBO TVSSANO S.

IGo semper læti ominis istar habui, quod linguis ac bonis literis apud nos suboleſcẽtibus tam odiose tam'q; coniuratis studijs reclamatum est. A' talibus em̃ initijs semper exortæ sunt res præclaræ diu'q; regnaturæ. Huius excetrę sibila si non primus, certe cum primis apud nostrates excepi. Ab ea te quoq; nonnihil afflatum fuisse uehementer mi Tussane doleo. Verum ut hæc inuidia paulatim ipso temporis progressu mitiganda citius consopiatur, partim in nobis situm est, uidelicet ut comitate, ciuilitate & officio nosmet in beneuolentiam omnium insinuemus. Louanij collegium Busleidianum uix substitit, tanta erat eorum conspiratio, qui sibi persuaserant hanc studiorum accessionem suis rationibus fore incommodam. Itaq; professoribus dedi consilium, ne uerbum in alios disciplinarũ professores dicerent, sed comitate morũ, diligentia'q; profitendi, simul & iuuentutem allicerent, & hostes irreconciliabiles urerent: nam hoc uindictæ genere non esse aliud pulchrius aut efficacius. Paruerunt, & post aliquot menses fassi sunt, sibi rerũ experientia compertum, id consilium fuisse faustum ac felix. Eo consilio nec uestra prudentia

dentia nec uestri mores egent: & alioqui non paulo leuius certamen uobis erit cum Ierna, partim quod apud uos melioris literaturæ splendor iam maxima ex parte glo rioſæ inſcitię nebulas diſcuſſit: partim quod tantū principem habetis iſtius pulcher rimi negocij profeſſum autorē, non minus humanū ac benignum q̄ potentem, qui uidetur hoc penitus habere perſpectū, quantum hinc ueræ gloriæ ſuis ornamentis, quantū utilitatis uniuerſæ ditioni ſit acceſſurum. Louanienſe collegiū autorē habet Hieronymū Busleidium, uirum ampliſſima fortuna dignum, quæ non defuiſſet ſi uiuere licuiſſet: ſed deceſſit & autoritate & re mediocri, adeo' ut ſalaria uix alendis profeſſoribus paria ſint. Illius tamen memoriæ nulla ſatis digna gratia rependi po teſt, qui quicquid erat facultatum, id uniuerſum ei negocio dedicauit. Quin & hoc cordatioris conſilij uidetur, quod iſthic duarum modo linguarum profeſſoribus de ſtinatū ſit ſtipendiū, Græce & Hebraice, quādoquidem Latina iampridem ſic efflo ruit, ut peculiari profeſſore non egeat. Iam illud regiæ benignitatis eſt, quod utriq̄ linguæ binos profeſſores deſignauit, id'q̄ ſalario neutiq̄ exili, quo non tantū com mode, uerūetiam cum dignitate munus delegatū obire queāt. Iſto nomine mi Tuſ ſane multo feliciorem iudico Galliam, q̄ ſi tota Italia ueſtrę ditioni fuiſſet adiuncta. Pulcherrimā ſpartā ſortiti eſtis, nihil ſupereſt niſi ut eam pro ſua quiſq̄ facultate cer tatim exornetis. De tuo erga me ſtudio, nihil opus ut aut ipſe iuſiurandū ullum in terponas, aut quenq̄ ſponſorem adhibeas. Vt enim priſcis illis ſufficiebat formula, inter bonos bene agier oportet: ita inter Chriſtianos nihil requirendū præter duas ſyllabas, καὶ & ὀυ. De Budæo reconciliando quod ſcribis, amo quidem humanitatis tuæ ſedulitatem: uerū nolim hoc eſſe perſuaſum eruditorū centurijs, me cū Budæo redijſſe in gratiam, qui cū mihi nulla fuerit unquam ſimultas, nec unq̄ futura ſit, niſi prorſus hanc mentem mihi deus aliquis adimat. Nulla eſt inter mortales tam omni bus nexibus aſtricta amicitia, quam non aliquando nubecula quæpiam offuſcet ad tempus. Nemo mihi perſuaſit aut perſuaſurus eſt unq̄, Budæū hominē non minus humanum q̄ eruditum, fuiſſe offenſum meo Ciceroniano. Si quid fuit offenſionis, malę linguæ ueneficiū fuit. Autores aliquot ad me delati ſunt, ſed non eſt ocij tantū, ut uacet auſcultare delationibus, pręſertim quū iam ſenex alio' properem. Ego nun quā aliter animatus in Budæū fui, q̄ decet in hominem probum, eruditum & de li teris egregie meritum. Conſultius autem uiſum eſt illum meis literis non appellare. Nam ſi quis deus mutauit illius animū, ut pro beneuolo ſuſceperit hoſtilem, non eſt innocentiæ cuiquā eſſe ſupplicem. Si talis eſt offenſio, quales ſolent ſæpe inter ami cos incolumi tamen fœdere gratiarum incidere, illius erat expoſtulare, meum pur gare. Quāquam nec hic grauarer aliquantulū de meo iure decedere, ſi certo ſcirem quid illi doleret. Id quū nec diuinare poſſim, uereor ne ſi tentem generoſo equo pal pari, imprudēs doloris locū attingam, & ille recalcitret undiq̄ tutus. Si eſt offenſus, illius uices ſunt reſcribere ad duas epiſtolas, quas ut ais, totum bienniū apud ſe ſerua uit nō reſignatas. Sed quicquid eſt hoc hulceris, ſi tamen eſt ullum, optimū arbitror fore medicum τὸμ καιρὸμ. Nec mihi deſunt quibus reſcribam, uelim nolim, nec de ſunt Budęo τὸμ ἵππομ ἐις πεδίομ προκαλοῦντες. Henricū Glareanū iuſſi tuis uerbis ſal uere, quem ipſum opinor tibi ſcripturū. Habes ni fallor, ferè ad omnes epiſtolæ tuæ partes. Hiſce diebus aliquot, famulus à cœna mihi inambulanti ſolet e' Budaicis epi ſtolis recitare, ſi quando non eſt cōmodi congerronis & ad ſtomachū meū facientis copia. Vehemēter probo tuum conſiliū, quod in pleraſq̄ attexueris ſcholia. Quare factū eſt, ut & à pluribus maiore'q̄ fructu legantur, & melius ferant ætatē utilitate præſenti cōmendatæ. In his ſunt aliquot ad Petrū amicū, quē Baſileā adduxit Ioan nes Laſcanus Polonius, iuuenis apud ſuos adprime nobilis, atq̄ etiā in paucis erudi tus. Venit aūt nulla re alius, q̄ τῷ σχήματι, nam moribus illius, nihil unq̄ uidi purius,

in quibus nullum næuũ possis reprehẽdere, nisi ꝙ plus satis abesset ab arrogantia ferocia' ꝙ. Post menses paucos cœpit languere, nec aliam eius rei causam diuinare potui q̃ frigus, cui non assuerat, nudato iã præter solitũ collo ac tibijs. Nec interim desinebat crudis Germaniæ vinis aquæ plurimũ addere. Adeo' uero contigit illi, quod optare solet Cæsar Augustus ἡ εὐθανασία, ut obdormiscere non mori videretur. Corpus apud Franciscanos pro laico sepultũ est, animã spero inter Seraphicas mẽtes uiuere. Hoc si forte nesciebas, scire te uolui. Bene vale. Saluta mihi Danesiũ collegam tuũ, sed in primis Budæum si videbitur. Apud Friburgum Brisgoiæ, iij. Idus Mart. Anno a' Christo nato M. D. XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS EOBANO HESSO S.

AB his quibus cũ semel mihi amicitiæ fœdus legitime gratiarꝫ auspicijs ictũ est, ut semper sunt gratissimæ quæ reddunt epistolæ mi Eobane: ita nõ solo offendi intermissione literarꝫ, præsertim eius generis, quæ nihil habẽt præter salutationis officium, aut familiaritatis colloquiũ. Et epistolarꝫ fasciculis sic obruor, ut interdum uix ociũ sit perlegẽdis. Hic itaq; dũ culpam deprecaris, aut etiã ueniam precaris, scito te μάτην τὸ ὕδωρ ἀναλίσκειν. Quod expostulas inuidiosa commemoratione, & vos bonarꝫ disciplinarum professores, & istam rempub. esse traductam: Primum reipub. mox me uobis purgabo, sed paucis. Ego isti ciuitati, ut inter Germanicas præcipuæ celebritatis semper optime uolui, nec ulla data est occasio cur secus essem animatus. Si ideo putas traductam, quod inter eas censeri uidetur, quæ aliqua ex parte fauent contentiosis dogmatibus, non expectabam ut illa offenderetur, si hoc obiter in scriptis significaretur, quod ipsa nõ cupit haberi clàm, quod' que iam multorum æditis libellis, latius sparsit fama, quàm ille meus libellus unquam sit peruagaturus. Quod magistratus sat amplis stipendijs conduxit, qui istic optimas literas profiterentur, nemo non fatetur laude dignum. Porro quod frigent auditores, atque ob id etiam professores, nullum crimen est Reipub. cui in manu est quod honestum est consulere, successus bene consultorum in manu non est. Magistratus quod in ipsis situm erat præstiterunt, animos hominum immutare solus potest deus. Nec tamẽ huius rei mentionẽ affectaui, sed huc me adactũ uides, ni uoluissem haberi mendax, quo nomine mire delectatus est ille qui me prouocauit. Iã hoc ipsum quod a' me leuiter notatũ est, non unis literis ad me perscripsit Bilibaldus, uir ut opinor grauis, suæ' ꝙ reip. bene cupiens. Idẽ Basileam detulerũt hoies minime leues, ac uobis etiã priuatim amici. Quod si putas ad totius ciuitatis cõtumeliã pertinere, quoties magistratus aut in eligendo fallitur aut successu frustratur, etiam atq; etiam uide ꝙ iniquam legem eis præscribas, quũ exigis ab hominibus, quod solius est dei proprium, qui nec falli potest iudicio, nec euentu frustrari. Quare tibi illa mi Eobane non admodũ in loco dicta sunt tam inuidiose, ac deinde cũ colapho. Nõ pudet inquis te clarissimæ ciuitati eam notã inurere, tanꝙ alat pigros studiorꝫ professores? Quasi multæ ciuitates nõ alant aliquãdo furaces magistratus, indoctos episcopos, luxu ꝓditos sacerdotes, deniq; lenones, usurarios & meretrices. Nõ accuso magistratũ, & si qd delinq̃ret magistratus, an cõtinuo ciuitas uniuersa me reũ aget lę sæ maiestatis? Non dubito quin magistratus optaret uobis & auditoriũ ꝙ maxime frequẽs esse, & studiorꝫ amorẽ ꝙ maxime flagrare: sed aliud est optare, aliud prę stare. Verꝫ interim alit, fateor, sed aut alit inuitus, aut in spem melioris successus. Tantũ de rep. læsa. Venio nũc ad professorꝫ ordinem, mox ad te uenturus, posteaq; quędã tuo nomine peculiariter expostulas. Ego professorũ neminem noui præter te & Ioachimũ, quorꝫ vtrũq; soleo inter amicos nũerare, quẽ admodũ adhuc nũero, ne putes maleuolentiã mihi in cõsilio fuisse quũ illa scriberem. Auditorꝫ aũt segniciẽ frigus' ꝙ uobis

uobis etiam arbitror displicere. At qui fieri potest, ut caleat professorum studium, si rarus sit auditor, isq; dormitabundus & oscitans? Proinde nec professoribus inuritur nota, sed auditoribus. Iam mihi finge esse unum atq; alterum ex professoribus qui cesset non illibenter, quid aliud accidit, q̄ quod hominis est? Posteaq; illi negligunt suum cōmodum, ignoscēdum est, si professor suum ocium & emolumentum amplectitur. Succenses ijs qui talia uel literis uel rumoribus huc pertulerunt: non tamen hoc agis, ut doceas illos uana pertulisse: tantum ingratitudinem & inciuilitatem eis obijcis, qui istic bene habiti parum bonam retulere gratiā. Iam si quid tu cudis poēmatum, non isti tantum ciuitati profuturorū, aut si quid tale molitur Ioachimus, quid hoc ad istā profitendi prouinciam? Mihi quotannis multa cudūtur, nec ob id mihi ciuitas hæc designat salariū. Rogas quomodo ipse me mihi excusem, qui tantum uulnus infligam, semianimis uixq; spiritum languidum trahentibus literis? Imo in hoc ipsum illa scripsi, ut segnes ad studiorum ardorem excitarem. Quū præceptor increpat segniciem discipulorum, quid aliud agit q̄ ut illos ex ignauis reddat alacres? Quàm alibi langueant studia nescio, Louanij & Lutetię florent ut quū maxime. Sed unde languor studiorum? Nimirum à segnicie quorundā qui se iactant euāgelicos. Hoc si tu quoq; doles, ut facere arbitror, in idem uenimus. Fortasse metuis ne si multis persuasum fuerit istic cessare professores, pauciores studiorum gratia sese ad uos conferāt. Vestratium itaq; partium est, auditores uestros ad amorem literarum inflammare. Id si factum erit, ipsa res facile iuuentutem alliciet. Nec oportet eo loco uos supra modum offendi, quum eadem querela sit optimi cuiusq; de ciuitatibus omnibus, ubi regnant euangelici. Hoc certe nomine uos & amo & laudo, quod in his dissidijs quieti, bonas literas nulla onerastis inuidia. Venio nunc ad ea quæ peculiariter mecum agis. Exprobras quod meum nomen præclaris laudibus uexeris. Vt fateor non esse mihi molestum laudari à uiro laudato, ita ni fallor, uicissim Eobani uirtutes si minus quàm tu copiose, satis tamē candide prædicaui. Nuper Glareanus mihi narrauit abs te æditum uolumen epigrammatū, in quibus frequēs & honorifica mei mentio. Id nondum uidere datum est. Quod scribis de subtractis e farragine meis ad te epistolis, nec memini nec satis intelligo. Si subtractę sunt, certe odio tui factum non est. Neq; enim meæ in te beneuolentię quicq; decessit hactenus. Fieri potest, ut cum æderem hoc genus argumenti, tuæ non uenerint ad manū, aut aliquid fuerit causæ, quod nunc non queo diuinare. Vnam illic meam ad te epistolam reperio. Tibi non uidetur ferendum, quod in Ciceroniano meo nullus Eobano datus sit locus. Si æquum autumas uir amicissime, ut me in ius uocet quicunq; illic præteritus est, plusquam ducenti me reum peragent. Non enim ibi texebam catalogum eorum qui scriptis innotuissent, sed quum decem exempla suffectura fuerint ad id quod illic agit, indulsi numero, id q; sicuti parū consulte, ita ut apparet parum feliciter. Vtinam in totum à uiuorum, aut nuper defunctorū nominibus temperassem. Nunc alij se queruntur præteritos, alij dolent se commemoratos, alij secus attacti sunt q̄ uellent. Finiendus erat nominū catalogus, id fieri nō poterat, nisi multis prætermissis. Sed omissis inquies gregarijs, eximios tantum recensuisses. Verum qui uix gregarij sunt, sibi uidentur eximij. Porro ne tu maleuolentiæ des, quod nominatus ibi non sis, præteritus est & Zasius & Beatus Rhenanus, quorū alterum crebro uidebam, ab altero frequenter accipiebam literas, ut obliuionem causari non queam. Nec illi tamen expostulant. Semper fassus sum, quod sibi uindicat Franciscus Philelphus, parem in utroq; genere facultatē tibi mire obtigisse, sed nihil quod sciam extat tui præter poēmata. At in Ciceroniano meo ut ais, fit aliquot poētarum nomenclatura. Fortasse, sed obiter tamē, & præter argumenti naturam, ut hoc cui uenia opus est uerius q̄ debetur laus, contrahi potius debuerit q̄ dilatari.

Et tamen

Et tamen hæc scribens nondum scio, an ibi sit Eobanus nec ne: & nisi tu expostulasses, credidissem te minime prætermissum, tantum abest, ut studio tuum nomen suppresserim. Iam finge me texuisse scriptorum catalogũ, humanius erat obliuioni ignoscere, ꝙ de animo nostro dubitare. Abs te biennio nihil uenerat literarũ, & sensi nõnullos amicos mihi factos iniquiores, quod nouis dogmatibus reclamarim. Tale quiddam de te suspicari poteram, nihil tamẽ sinistræ suspicionis passus sum altius in animum meum descendere. Sed ut descenderit, quur iudicassem prætereundũ Eobanum, quum Huttenum & Albertum Pium recensearn, quorum uterꝙ cruento calamo me petijt? Postremo Eobanus in se habet quo se nobilitet, ut nostra prædicatione uix alĳ minus sit opus. Iam si quid uel abs te uel à Ioachimo elaboratũ est, quod nondũ prodĳt in lucem, mihi quidem uenia dignus uideor si nesciam. Quod Theocritum reddidisti Latino carmine, miror si Siculam illam Venerem assequutus es. Homerum opinor experiris tractabiliorem, in utroꝙ tamen argumento uereor ut fama labori respondeat. Qui Græce norunt, nam gliscit indies ea lingua latius, malunt eiusmodi autores audire sua lingua canentes. Laudo tamen industriam tuam, nec ea sua laude fraudabitur. Quæ præsentem adferunt utilitatem, ea maxime uidemus hominum manibus teri, etiamsi tractent argumẽtum humilius. Ita celebris est Perottus, Rodiginus, Calepinus, Budæus, & Volaterranus. Sed mediocribus esse poëtis non licet, ut ait Horatius. Hoc seculo uix etiã summi poëtæ laudem quantam promerentur ferunt. Sed finem imponam epistolæ nimiũ loquaci. Isti Reip. utinam tam omnia cõtingant prospera, ꝙ ego opto. Eam per me nulla ex parte, nec puto lesam, nec lædi uelim. Si uanus est rumor qui frigere istic professiões pertulit, & si falsa scripsit Bilibaldus, magnopere gaudeo, precorꝙ ueniam credulitatis. Sin uera sunt, existimo professorum segniciem excusatam auditorum frigore. Quod si non impetro, saltem illud persuasum habeas, Erasmũ in te & Ioachimum amico esse animo, in alios quos nõ noui nihil habere stomachi: de nostra uero amicitia tantũ mihi fuisse fiduciæ, ut siue meæ ad te epistolæ ederentur siue premerentur, siue Eobanus esset in catalogo, siue non esset, putarim me te nihilo minus beneuolo usurum. Postremo si quid hic à me cessatum est in officio, facile poterit alio loco sarciri. Bene uale. Et Ioachimum collegam tuum meis uerbis saluta. Apud Friburgum Brisgoiæ IIII. Id. Mart. Anno à Christo nato. M.D.XXXI.

ERASMVS ROTEROD. ANDREAE ALCIATO S.

QVum multis antehac argumentis singulare quoddam tuum erga me studium abunde declararis, id ꝙ pro tui magis ingenĳ candore, ꝙ pro meis meritis Alciate doctissime, nullo tamen certius mihi fidem feceris quanti me faceres, ꝙ hisce proximis tuis literis, quibus non minus diserte quàm amanter hoc agis, ut silentio contemptu ꝙ potius quàm reluctando, ab improbitate rabularum mihi quietem ocium ꝙ uindicem. Vnde enim ista tanta mei solicitudo, nisi ab abundantia quadam amoris, aut ut rectius dicam, pietatis erga me tuę proficiscitur? Istam uero cantionem mihi nec primus, nec solus occinis. Eandem iamdudũ audio ab amicorum meorum præcipuis, Cutberto Tonstallo, Iacobo Sadoleto, & Baptista Egnatio, quanquã ex his posteriores duo monitores pene seri extiterũt, ut propemodum μετὰ πόλεμον τὴν συμμαχίαν παρέχειν, καὶ τὸν νεκρὸν ἰατρεύειν uideantur. Nec ob id tamen minus grata est illorum uoluntas, quod minus utile sit officium. Postremo est aliquid uel sero sapere cum Phrygibus. Atque utinam liceat & antea facta quædam in integrum reuocare. Nam ne uidear patrocinari culpæ, quibusdam respondisse me pudet pigetꝙ: quibus tamen responsurus non eram, si maluissem animi mei arbitratu rem gerere, ꝙ amicorum non uulgarium hortatibus obsequi.

Proinde

Proinde cum alij suaderent silentium, alij autores essent ut acriter stringerem calamum, temperamentum medium sequutus sum, nimirum ut nec omnibus respondérem, nec omnibus obticescerẽ, semper tamen moderatione uincerẽ lacessentes. O di fatum meum, quoties recenseo tot meas apologias. Quid enim rectius appellem, & fatum? quum genius meus à nulla re magis abhorreat, atq; adeo à teneris abhorruerit, & ab istiusmodi gladiatorijs dimicationibus, in quibus illud dici uidetur, τεθναίης καὶ κάκτανε. In hanc harenã transuersum me protrusit ineluctabilis parcarum uis, καὶ τὸ σεριᾶς ἀνάγκης ἀκίνητον μένος. Adijciam illud. Quid si hoc aliquis uoluit deus? Qui scimus, quid his rebus agat summus ille choragus, qui humanæ uitę fabulam temperat? Nam fieri potest, ut quod nobis singulas partes contemplantibus malum & indecorum uidetur, illi harmoniam uniuersi spectanti & optimũ uideatur & pulcherrimum. In comœdia quis non malit esse Mitio, & Syrus? & tamen ad totius fabulæ decorũ Syrus non infimas partes sustinet. Proinde quod me ad tuum exemplũ uocas, fateor equidem me ad pulcherrimã speciem inuitari: ad cuius inuitationem me non grauabor cõponere, quod quidem licebit. Sed quid faciemus, si mihi longe diuersam personã impositurus est choragus? Est isthuc quidem raræ cuiusdam & moderationis & prudentiæ, quod uti scribis, imperitos silentio transmittis, doctissimos humanitate reuerentia'q; demereris. Sed tibi cum hominibus res est, mihi cum exitialibus monstris: imo' non cum singulis monstris, quemadmodũ Herculi fuisse narrãt, sed cũ multis cõiuratis phalangibus, & in his nulli magis lædunt, & qui sunt imperitissimi. Leones & dracones mãsuescũt officijs, isti beneficijs exasperant. Principib⁹ ac populo sanctimoniæ persona cõmendantur, clamant hæreticũ, schismaticũ, falsarium. Aduersus hos nisi ante annos octo strinxisset calamũ, iam ictus fulmine iaceret Erasmus, tantũ letalis ueneni & in aula Cæsaris & in sacris cõcionibus apud imperitam multitudinem effuderant. Nec̨segniter suas partes egerunt quidam apud Clementem Pontificẽ. Itaq; si rogas, quid profecerim, cõpendio dicam. Hoc quod uiuo, calamo linguæ'que debeo. Ipsos nihilo placatiores habeo, sed eruditi, integri, candidi'q; meis apologijs armantur aduersus eiusmodi monstra, ne quantũ illis libet, tantundem & liceat. Postremo à funere quum iam tacebit Erasmus, fortasse loquentur apologiæ. Tu præterq; quod in magnifico plausibili'q; munere uersaris, proprijs etiam ornamentis, excellenti doctrina, comitate morum, singulari prudentia, ceu fulgore radiãti facile submoues tenebrionũ improbitatem. Iam si quid inter uos oritur dissidij, tantũ de ingenij præcellentia cõcertatio est, ut hæc' ἔρις iuxta Hesiodi sententiam, non parũ etiam utilitatis adferat studijs, modo ne exeat in rabiem. Mihi cũ morosis & cerebrosis res est, à quibus si quis uerbo dissideat, confestim audit hæreticus, schismaticus, falsarius, atq; in fortunarũ, famæ, uitæ'q; periculum pertrahitur. Tanta autem est illorum immanitas ut præstet in Cyclopum ac Lestrigonum manus incidere. Monarchæ tot districti negocijs, non possunt ad omnium technas esse intenti, & tamẽ horum fauore subsititi hucusq;. Sunt enim, ut nihil aliud, homines: in quibus si tanta fuisset immanitas, quanta est in personatis, iam olim linguæ cum melioribus literis exularent apud Nomadas uel apud Orcum potius. Siquidem apud nostrates crassæ mentis homines minimo minus persuaserant populo, nihil interesse inter bene Latinum Græci'q; sermonis peritũ, & inter hæreticum. Et tamen cũ his portentis satis æquo Marte pugnabamus, nisi rerum humanarũ scenas inuertisset hic subito ἐπιφανὶς ἐν τῷ δράματι λύκος, qui ut musarũ cultoribus uocem ademit, ita ranis auxit. A' qua fabula utinã mihi per principes licuisset esse quietum. Quid igitur efficis Alciate disertissime, dum mihi tuum proponis exemplum? Quid? nisi ut tum tibi, tum studijs istam gratuler felicitatẽ, & meum agnoscens fatum ipse mihi minus placeam? Alciatus inter candidos deorũ filios numerãdus est,

felix

felix & pulcher & acer, & si perfrixit bene cantans, breuiter ἐξω τοῦ φρόνος &c. ῶμ posttus. At probabilius theologo ueterum theologorũ exempla proponis. Cyprianus audiuit Caprianus. Quid ni tale conuicium neglexerit tantus episcopus: quum ego toties mutato nomine, nunc Erraſmus ab errando, nunc Araſmus ab arando, nunc Eraſinus ab aſino uocatus, nihil aliud cꝫ rideam? In Auguſtini uitam nemo acrius ſtrinxit calamum, partim ob omnem ętatem innocenter actam, partim ꝙ iam gravis uenit ad baptiſmum, & tum temporis improbiſſimum haberetur cuiquam obiſcere, quod ante renaſcentię lauacrũ eſſet cõmiſſum. Et tamẽ ad leuiſſima probra reſpondet, uelut ad cenodoxię conuicium: aduerſus fidei calumniatores nunquã non eſt in armis, & peculiari libro reſpondet ad articulos ipſi obiectos. Mirum eſt autem uirum tanta lenitate tantaꝙ humanitate prædituꝫ, à quoquam prorſus inceſſi potuiſſe cõuicijs. Hieronymi fatum non ita ualde diſſidet à meo. Vbi non deſtomachatur in canes ſuos oblatrantes? Quoties, inquis, periclitabatur Chriſtianæ philoſophiæ ſynceritas, ibi calamum ſtringebant, ne ſimpliciores pellicerentur in errorem, ad priuatas iniurias ſilebant. Nec aliud opinor agitur in meis apologijs, cꝫ ut depellam crimen hæreſeos, aut ſchiſmatis aut falſi. Ad hæc autem mutum eſſe, non eſt lenitas, ſed impietas. Aduerſus eos qui ſuggillant ingenium, eruditionem, eloquentiam, iudicium, aut etiam mores, plerunꝙ nec linguam habeo nec calamum: aut ſi quid reſpondeo, contemptim leuiꝫ cꝫ brachio id facio. At Hieronymus, cꝫ non ſine ſtomacho conflictatur cum Auguſtino, cꝫ amarulenter delitigat cum Rufino? Nec paucis locis perſtringit Palladium. An indiligenter reſpondet his, à quibus Romæ fuerat inſimulatus, quod æquo familiarior eſſet Paulæ? Illud igitur uide ut amanter potius quàm ex re tibi ſcriptũ eſt, Falleris Eraſme, ſi tam male de nominis tui maieſtate deꝙ ſtudioſorum in te obſeruantia iudicas, ſi arbitreris huiuſmodi obtrectationibus, de arce te eruditionis ac probitatis quam tam diu poſſediſti, poſſe deijci. Maieſtas & arx amoris tui uocabula ſunt, non rei. Sed ſi Hieronymum nec incomparabilis eruditio, nec admirabilis eloquentiæ fulmen, nec rara uitæ ſanctimonia, nec tot meritis quęſita autoritas potuit ab improborum latratibus tueri: quid de me cenſes, cuius mediocritas omnibus inuidiæ telis expoſita eſt? Liuor enim nec uehementer excelſa petit, nec humi repentia. Quid quod illud etiam mihi perſuadere niteris ut perinde ac deuictis hoſtibus adornem triumphum. Atꝙ ex præclaris facinoribus cõmemoras opus adagiorum, nouum inſtrumentum, paraphraſes, & annotationes in Hieronymum. παροιμιολογία mihi non multum conflauit inuidiæ, atque utinam in ſimilibus argumentis tranſegiſſem omne tempus. Nouũ uero teſtamentum eos potiſſimum iritauit in me, quos oportuit præ cæteris induſtriæ noſtræ gratias agere. Paraphraſes diu plauſibiliter uerſabantur per manus hominum, donec cancer quidam haud ſcio unde obrepens cœpit etiam has uellicare, nõ ob aliud, niſi quod in his malui priſcos interpretes ſequi, cꝫ recẽtium ſcholaſticorũ placita. Quin & Hieronymi æditio initio ſat æquis animis excepta eſt, donec exorirentur quibus hoc decretũ uidetur nihil non calumniari quod ab Eraſmo prodiſſet. Porro quum res mihi ſit cum utraꝙ acie, tamen cꝫ non multum temporis huiuſmodi rixis impendatur, uel illud argumento eſt, quod interim nobis ſi non diues ille Alcinoi hortus, quem miratus eſt Homerus μῆλ' ἐπὶ μῆλοις gignentem, certe Corytij ſenis hortulus quem Maro celebrat, ſubinde nonnihil profert holuſculorum. Nam aurea mala in tui ſimilium pomarijs naſcuntur. Poſſem & pluribus tuis lemmatis ἀντιξεντορεύειν, ſed id malim in alio quopiam argumento. Hic ingenue culpam nonnullã fateor, eamꝙ non leuem. Tamen quod hortaris, mea ſponte iamdudũ meditor, multo id diligentius facturus tuo admonitu. Tuæ felicitati gratulor, cui obtigerit ea profeſſio, quæ minimum habet cõmercij cum iſtis crabronibus: tuamꝙ prudentiam uehementer probo,

probo, quisedulo das operam, ne tibi cum quoquam incidat amarulenta conflictatio. Si Longolius hoc operæ temporis q; dedisset Græcis autoribus, quo se excruciauit Romæ, ut tandem inter Ciceronianos ac ciues Romanos scriberetur, rectius ni fallor tum sibi tum publicis studijs consuluisset. Sed illud ingeniũ inuida fata terris tantum ostendere uoluerunt. Budæus uir est minime malus, & si quid in quem stomachi concipit, magis id facit alieno impulsu q; suapte natura, & alioqui placabilis ingenij, nec unquam usq; ad uirulentiam excandescentis. Inter illius epistolas aliquot comperi, uel ad te uel de te scriptas, in quib⁹ satis declarat, & q; præclarè de tua doctrina sentiat, & q; ex animo commodis tuis faueat. Eas ego non sine magna animi mei uoluptate legi. Quod Sucquetum nostrum, tuæ Mineruæ alumnum singulari studio tum ornas tum prouehis, tibi gratiam habeo maximam: nec enim piget fateri me isto nomine tibi factum multo obligatiorem, quũ ante fuerim obstrictus plurimis. Quod autem istum fauorem præstas, ut scribis promerenti, illi bis gratulor, primum ut felici, cui contigerit tanti uiri candidum suffragiũ: deinde beato, qui eiusmodi uirtutibus sit locuples, ut sese ꝑspicacissimo simul & rectissimo iudicio tuo probare ualuerit. De Viglio scripsi Zasio non indiligenter, neq; enim aliter colloqui possumus, ego ἄφωνος, ille ἡμίκωφος. Nihil respondit, id q; præter morem suum. Impetrauit hoc Zasius à rege Ferdinando, ut etiã si senectuti suæ daret rudem à profitendi munere, non sit tamen fraudandus solito salario. Sed ille nec ætati nec ualetudini indulget, pulchrũ ut arbitror existimans doctorem profitẽtem mori. Hæc academia quanq; alias non admodũ frequens, pestilẽtia facta est infrequẽtior. Sed speramus tempora cõmodiora. Si quid humanitus acciderit Zasio, aut si desineret professionem, arbitror Bonifacium Amorbachium, si ambiat, in eius uicem successurũ. Est em̃ inter illos arctissima necessitudo, & Bonifacius ob raram morũ probitatem apud omne genus hominũ gratiosus est. Accedit huc summa rerum charitas, ea q; crescens indies, quũ decrescat numerus τῶν σίτον ἐσθόντων. Qui rerũ status maneat Germaniam, nescio, mihi certe uehemẽter displicent προοίμια. Quod si Viglius, seu Vigilius potius, theatrum quærit in quo doctrinæ suæ specimen ædat, nõ uideo ubi id possit rectius q; Louanij. Ante annos quinq; significaram declamatiunculã Vulcano traditã, quod tu ita itusseris, pro q; officio mihi gratias egisti, nimirũ ijsdem literis quibus Pyrrhi mortẽ deplorabas. Miror istam solicitudinem repullulasse in animo tuo. Sed uerissimũ esse uideo quod Græcorũ prouerbio dicitur, δειλὸς ὁ πλοῦτος. Mille coronati reddũt te timidiorem. Verũ quod scripsi repeto, si nullum exemplar apud alios resedit, quod ad meũ mihi missum pertinet, potes mi Alciate nõ solũ in utranq; aurem, sed in utrũq; etiam dormire oculum. Procul absit à me hic animus, ut uelim aliquid ædere tuæ famæ nociturũ, præsertim admonitus tuæ uoluntatis. Videbam hanc epistolã tuam postremã non minus eruditam q; eloquentem promereri, ut in utilitatem plurimorũ ederetur, sed ob uoces quasdam illic insperſas eam cogitationem repudiaui, quando nunc ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος εὕδει. Bene uale. Friburgi Brisgoiæ pridie Cal. April. Anno M.D.XXXI. iuxta nostram supputationem.

ERASMVS ROTEROD. DANIELI STIBARO S.

POsteaquam tu nos reliquisti Stibare charissime, omnes bonæ felicitates me deseruerunt. Nondũ redierat uigor ex morbo, quo me salutarat Martius. Postridie paschæ uentuli quidam sceleratissimi, qui toto pene Aprili spirarunt hic, sed à prandio duntaxat, Etesię uidebantur, nam ante prandium spirabat Aquilo aut Eurus, occuparunt aluum infra umbilicum, unde tormina crudelissima. Quum duraret malum, accersiui medicum, uirum humanum nec indoctum, sed quoniam nec corpusculũ hoc, nec mali naturã nouit, nihil hactenus attulit opis,

imo' quæ dedit ferè nocuerunt. In hoc ſtatu iam ultra menſem ago, nõ aliunde ſpem habens q̃ a' miſericordia domini. Multi hic laborant peſte & ſudore peſtilenti, tor minibus alui nõ pauci. Si tibi ſunt res ex ſententia, eſt quod uehementer gaudeam. De rebus nouis puto uos omnia melius ſcire. Bene uale Stibare chariſſime. Friburgi. xxiij. Maij. anno M. D. XXX. Periit ille doctor Hieronymus, qui te uidente ex equo nos inuitauit ad actũ ſolennem, quũ & uos locuſtarꝝ ſpecie toti uiridesobequitaretis. Laborauit & Lodouicus Berus, ſed vtcũq; reualuit. Saluta mihi Philippum Huttenum amanter.

ERASMVS ROTEROD. PETRO MESIAE S. D.

SVb nundinas Francfordienſes ſemper quidẽ obrui ſoleo, partim ſtudiorꝝ laboribus, ob prelatum maxime tumultuantia: feruent eĩ in officina Frobeniana perpetuo non pauciora ſex, prela: partim epiſtolarum cumulis ex omnibus mundi plagis aduolantibus, quibus interdũ reſpondeam neceſſe eſt, quo tempore uix ſoleo tueri ualetudinẽ: nunq̃ tamen magis degrauatus ſum q̃ hoc tempore, adeo' ut nec horulam dare licuerit diebus quindecim grauiter afflictæ ualetudini. Iam ad finẽ aſpiranti, uenit tuus faſciculus cum libello gracculi, poſtridie multo maximus etiam faſciculus ex Italia. Itaq; paucis tecum agam oportet Petre Mœſia uir animo meo chariſſime. Pietatem erga me tuam abunde teſtantur tuæ literæ, nihil aliud ſpirantes quàm ἐνθεσμ quendam amorem, quem ego lubens amplector, reſponſurus etiam pro mea quidem uirili. Cæterum quod hortaris ut iuueni glorioſo reſpondeam, etiam ſi fuiſſet ampliſſimum ſpacium, nam tuæ literæ ſero uenerant, tamen uerbum non eram reſponſurus. Sentio quantum flagitium admiſerim, q̃ illũ ullo reſponſo dignatus ſum. Animus hoc mihi præſagiebat, & amicus quidam candidus Alfonſus Valdeſius admonuerat per literas, ne blateroni tantum haberem honoris, ut uno uerbo reſponderem. Sed is cui tradidit literas, ſero mihi reddidit. Libellus paulo ante ad me uenerat miſſus è Lutetia, & ibi clàm excuſus per Seraphicos Franciſcanos contra ſenatus edictũ, ſuppreſſo typographi nomine. Quo magis ſuſpicabar eſſe nomen fictitium. Itaq; non eſt animus peccato peccatum addere. Eſt Louanij quidam eiuſdẽ ordinis iuuenis, iſto ueſtrate paulo doctior in ſacris literis, atq; etiam modeſtior, tametſi prodigioſæ gloriæ & petulantiſſimæ loquacitatis, ſed qui illis mos eſt, religionis fuco tam male diſſimulatæ, ut nemini nõ pelluceat. Is annotauit in annotationes Valæ, Fabri, & meas in epi. ad Rom. ſed in me proprie ſtringit calamũ. Reſpondi paucis abſq; ipſius nomine, ſine cõuicijs, niſi q̃ indicaui iuuenem nec Græce nec Latine peritũ, nec inſtructũ lectione diuerſorꝝ autorum nõ eſſe parem ei prouinciæ. Miſi libellũ Louanſum ad amicos, ut diſpicerent nũ expediret excudi, uerebar enim ne glorioſo protinus ſurgerẽt criſtæ. Excuderũt, peſſime ceſſit. Ille ſtatim quaſi uoto potitus, multos libellos parturire cœpit, plenos indoctiſſimę loquacitatis. Ridetur à doctis omnibus. Ipſe ſuorꝝ fratrum applauſu contentus eſt. Dices, quid igitur? patiemur illos impune triumphare? Vinci non poſſunt etiam uicti, ac proſtrati, tamen urgent & attrahunt aduerſarium, quemadmodũ ſolent pertinaces, ſed imperiti palæſtritæ: & vtcunq; res ceciderit, hoc ipſum iſtis abunde magnũ trophæũ eſt, extorſiſſe reſponſum ab Eraſmo. Magna certe gloriæ pars illis deceſſerit, ſi me quieſcente fuerint tumultuati. His remedijs potius cũ illis agendũ eſt: Deferendus eſt typographus ad magiſtratũ Cæſareum, qui contra Cæſaris edictũ auſus eſt iſtiuſmodi nugas ædere, ſuppreſſo ſuo nomĩe. Indixerat monachis ſilentiũ R.D. Archiepiſcopus Hiſpalenſis: monendus eſt & is, vt patres illos qui tales hiſtriones ſubornant, autoritate ſua coherceat. Vir grauis eſt & pius, cui tales libelli probari non poterũt, etiamſi mihi paꝝ faueret. Sũt & alij qui mihi bene volũt, archi

epiſcopus

episcopus Toletanus, & Don. Emanuel. Vnus typographus bene mulctatus, alijs erit exemplo. Ipse Guardianus adeũdus est, ac rogandus vnde habeat hoc exemplũ ex institutione diui Francisci, ut famosis ac seditiosis libellis præter edicta principũ incessant famã hominis, cui tot ecclesiæ principes reddunt amplissimũ testimoniũ, quoꝝ aliquot, thrasonice fortassis, sed infra uerum retuli in literis ad germanũ tuũ. In literis Cæsaris ad me postremis hæc inerant verba: Bono itaq; animo te esse uolumus, tibiq; persuadeas nos tui honoris atq; existimationis rationem nunq; non habituros. Et in alteris eandem sententiam multo scribit amantius, se non minore studio defensurũ existimationem mei nominis, q; sui ipsius. Vide igitur an is princeps tales libellos sit probaturus. Erit & illud remedio, si clàm admoneantur boni viri, ne quid dent talium libelloꝝ fautoribus. Nihil habent pudoris, conscientiæ multo minus, putant sibi licere quicquid libet. Si senserint aliquid decedere culinę, hoc demum sentiũt: nam aures habent non in capite, sed in uentre. A me curabiẽ ut Cæsar & ipsius Cancellarius intelligant scurriles istorum tumultus. Deniq; quiduis faciã patiar ue potius, q; ut iuuenum imperitorum nænijs respondeam. Dulcorationem illius ut uocas, non legi, nec est animus legere, sed oculo percurri titulos aliquot paginarũ. Dedicauit tam præclarũ opus principi nescio cui, & in initio decantat encomium pacis, multa sufflurans ex querimonia mea pacis. Hinc digressus facit Erasmũ Behemoth, & exemplo hæreticoꝝ omniũ sub titulo pacis bellum Christo inferentem. Ego nolim me hodiernum diem totũ esse superstitem, nisi Christi gloriæ synceriter & ex animo faueo. Deinde recitat nobis orationẽ cuiusdam, qui in synodo summatim enarrasset errores meos horrendos, de quo mihi scripserant quidam, & oñino si bona fide recitat hic, expedite proposuit, sed mendacissime, & à doctis tum habitus est pro insano monacho, ut erat reuera. Mox expatiatus in laudes principis, rogat ut componat bellũ per me meos q; seditiosis libellis in monachos excitatũ, meq; adigat ad palinodiam. Quos seditiosos libellos narrat? Apologia mea nihil habet seditiosi, & probata est à Mercurino Cancellario. Quis adegit Caruaialũ ad sic inepțiendum? Eum irrisi non ut monachum, sed ut esse putabam, ludionem subornatũ. Hæc in præfatione. Deinde ut probet nobis suam eruditionem, recitat aliquot loca ex epistolis quorundã, à quibus fortassis extorserat cõmendatiũculam quod isti solent, nam & sic mendicant: quoꝝ nemo tamen quod sciam theologus est, certe nec Viues nec Leus est. Quod si talibus testimonijs res agitur, quos epistolaꝝ cumulos à qualibus uiris scriptaꝝ possim proferre? De Termino quum fuerit stolidissima cauillatio, tamen non accipit excusationem meam, quasi ego fuerim unq; tam insanus, ut non dicam in uniuersis, sed in una quapiam disciplina me prætulerim omnibus. Et tamen hic referuntur, plus ultra, & alia quædam nugaciora: quid multis? uicit Cacalalus. Alicubi argumentans dico, posset hic uideri in Christo quædam infirmitas: colligit ille, fuit in Christo infirmitas, audistis blasphemiã. Multa huius generis colligit hinc atq; hinc ex libris meis nullo ordine. Illud ex eo didici, quid sibi uellet quod de scorto meo meminerat: nam ipse nunq; quiui diuinare, Est colloquium scorti & adolescentis, hoc ille uocat scortum Erasmi. Vtinam non sint scorta turpiora inter eos, quibus hoc colloquium uidetur impudicum. Docet & illud nos, Cæsarem & pleroscq; Hispaniæ principes esse monachos, alba cuculla, Cęsarem abbatem: nec hoc indignũ uideri debet, quũ & Christum faciat abbatem, & apostolos monachos, & uirginẽ matrem monacham. Dixeram, mihi ut quisq; ad Francisci pietatem proxime accedit, ita fuit, est, & erit semp charissimus. Hinc ita colligit, Franciscꝰ pauper fuit, lauda paupertatẽ. Franciscus cœlebs fuit & castus, lauda cęlibatũ. Sic potius colligere debuerat, ergo qui uelit amari ab Erasmo, ad Francisci uitã se conferat. Tales ẽm reuera semp amaui, & adhuc amo, Louanij cũ Franciscanis mihi fuit amicitia

Christiana, Leus primus clàm insperſit aliquid mali ſeminis, id poſt excitarunt alij, donec prodiret iſte glorioſus, quẽ uulgus appellat dei corniculam. Baſileæ coniunctiſſimus fui Franciſcanis, donec tenerent rectũ curſum. Hic Franciſcanos habeo tam uicinos, ut in cubiculo audiam canẽtes perinde atq; ſi eſſem in templo. Summa eſt inter nos amicitia, quia nulla eſt inter eos malicia. Habẽt concionatorẽ probum ac modeſtum, qui Eraſmũ interdum etiam honorifice citat in cõcionibus. Sint pauperes, qualis erat Franciſcus, nemo non amabit. At iſti nomine pauperes ſunt, re diuites, habent ſcrinia ſua, habent procuratores, habent aſſignationes: quanq; hęc nõ inſector, nemo inuidet illis uictum & ueſtitũ, modo ne inſultent in capita hominũ. Franciſcus fuit cœlebs, etiam ne putat idem eſſe cœlibem & caſtum: Caſtitatẽ quis unq; damnauit: Illa non abſq; riſu legi, Franciſcus fuit modeſtus, humilis, abiectus, iniuriarum patientiſſimus, Chriſti crucifixi ſectator incomparabilis, feruẽtiſſimus prædicator, & eccleſiæ ſemper obediens, extolle, cõmenda, ſuſcipe, non modo Franciſcum, ſed & illos qui per ueſtigia Franciſci ſequuntur principem Chriſtum. Equidem Franciſcum ſemper exiſtimaui bonum uirum, nec inuitus amarim illos quos uiderim per illius ueſtigia ſequentes principem Chriſtum. Tales igitur ſe exhibeãt, & mecum expoſtulent, ſi nõ laudaro. Sed opinor, ſi uiueret Franciſcus, Cacalalum non agniturum pro germano filio, nec ab illo laudari uelle, nihilo magis q; Paulus uoluit à puella Phythoniſſa. Magis tamen laudarim qui per ueſtigia Pauli ſequatur Chriſtum, qui ſuũ euangeliũ uoluit eſſe ἀδιάπανον. Poſtremo terret nos fulmine pontificis. Ipſi lædunt ordinem, qui mala uita, fatuis q; libellis dedecorant ſuũ ſodalitiũ. Audacter mentitur quod multi libris æditis pronunciarint me hæreticum. Hoc nec Bedda, nec Hoechſtratus, nec Latomꝰ, nec Leus, nec Sutor fecit qđ ſciam: & ſi quis feciſſet, conuicium eſt, nõ iudicium: nulla legitima ſententia ullus librorũ meorum pronunciatus eſt hęreticus. Sed nimis multa mi Petre de iſtius iuuenis ineptijs, qui nihil adfert, pręter indoctam arrogantiã, & effrenem linguæ uolubilitatem. Vtere cõmonſtratis remedijs, aut ſi qua potes comminiſci rectiora. Ego ſi quid potero non dormiam. Ad reſpondendi certamen nõ proliciar poſthac, niſi ſcribant aliter, quod à Franciſcanis non expecto. Qui docti ſunt ac pij fauent, ſtolidos ac glorioſos nihil moror. Ego interim pergam pro mea uirili, pietati literis q; conſulere, tu cũ germaniſſimo germano ſuauiter uiuito in Muſarum uiridarijs. Datum apud Friburgum Briſgoiæ III. Calend. April. Anno M. D. XXX.

ERAS. ROT. AVGVSTINO MARIO S.

IAm ultra menſem mihi res eſt cum tenaciſſimo malo, torminibus alui. A medico nihil opis, de domini miſericordia nunq; deſperandum. Laborauit & Berus, ſed reualuit, licet totus adhuc languẽs ut metuat recidiuum. Næ feliciſſima mihi fuit illa tui cõmendatio, per quam ego tanto principi factus ſum et notus & charus. Pro mea cõmendatione nihil mihi debes, habes in teipſo pharmacum, quo bonos omnes tibi cõcilias. Mitto aliquot exẽplaria epiſtolę ad gracculos, quo gratificeris amicis. Vt autem iſthic ædatur uel ob id non probo, quod hac occaſione ſolicitantur homines, ut cupiant uidere libellos gracculorũ, atq; ita fiunt uendibiliores. Imò meipſum pœnituit illius epiſtolæ. Multa illic magnifice prædico de mea ualetudine, eam magniloquentiã audiſſe uidetur Nemeſis, quæ me in hoc malum coniecit. Nec ſatis idoneam uideo cauſam, quur meam, uel ad te, uel ad R. Præſulem excudi cures. Si dabitur ualere, reperiet aliud argumentũ æditione dignius. Etiam atq; etiam te rogo, ne me deſinas optimo principi tuo commendare. Theologum iſtum cuius nomen me neſcire maluiſti, niſi forte eſt Vemgus, meis uerbis ſalutabis & amanter & diligenter. Vulturius furtim Argentorati curauit epiſtolam meam

meam ædendam cũ ſcholijs, hoc eſt, ſchurrilibus conuicijs. Id per literas ſignificaui magiſtratui Argentinenſi. Emmeus dicit typographũ e' nundinis reuerſum conie-ctum in carcerẽ. Nunc prodijt cũ nomine typographi, ſed tacito nomine urbis pro-lixum nugamentũ, cuius nihil legi præter titulos, nec eſt animus legere. Liberet plu ribus tecũ agere, ſi ualetudo patereť. Pridie Paraſceues Oecolampadius propoſitis argumentis ſuis hæc adiecit (audita narro) His nec Luterus, nec Eraſmus, nec totus mundus poterit reſpondere. Bene uale. Friburgi Briſgoiæ. xxij. Maij. M. D. xxx.

ERASMVS ROTER. AVGVSTINO TRIVVLTIO CARD. S.

ALius hic ornatiſſime princeps, ſollicitus eſſet in deprecanda temeritatis & impudentiæ nota, ego uero nullam hac in parte ſumpturus ſum operam. Nam ſi quid hic peccati eſt, quod ad tantum ſcribam tantulus, quod nullo argumento, q̃ nulla occaſione præbita, deniq; q̃ ut occupatiſſimus illaborata atque extemporali epiſtola uirum tot nominibus ſummum compellem, id totum in Ger-manum Brixium reijciendum arbitror, ut ille pro me uel cauſam dicat, uel ſi uideť, det pœnas. Non ſolitus ſum & aliàs homini mihi chariſſimo facile quicq; negare, uel ſi moneat tantum. Nunc uero tam uiolentis precibus, obteſtationibus, atq; etiam mi-nis mecum egit, ut propè denunciarit inimicitiam, ni hac in re morem ipſi gererem. Huc impulit hominem admirabilis quædam amplitudinis tuæ, tum admiratio, tum amor. Miſit ad me iuſtã epiſtolam, nihil aliud ſonantẽ, q̃ eximias Triuultij uirtutes, in qua tota miram ac geſtientem exultationem, gaudiorum' q; temulentiam, ut ita lo quar, quandam uideor agnoſcere, adeò geſtit, adeò ſibi gratulat̃, q̃ Triuultio dies aliquot frui contigerit. Sed illi non uenit in mentem, quod quo magis attollit & for tunæ tuæ maieſtatem, & corporis animi' q; diuina ornamenta, hoc magis me ab eo deterret, ad quod hortari contendit, præſertim quũ in literis quoq; doctrinã tuam abſolutam, ac iudicium excuſſum mihi deprædicet. Quid quod exigit epiſtolam te ſimul ac me dignam? Vno tamen telo me præcipue deiecit, quod quũ ſcribit te miro candore fauere nomini ſtudijs' q; qualibuſcũq; noſtris, ingratitudinis dicam mini-tetur, niſi literis declarem me tanti uiri propenſam in me beneuolentiam agnoſcere. Quid facerem? Eram plus q; obrutus neceſſarijs laboribus, & tabellio forte oblatus eſt, qui mox parabat abitũ: deniq; ex Brixij mei literis intelligo te iſthic non diu cõ-moraturũ, nec ſemper obtingunt quibus literas committamus. Itaq; perfricui fron-tem, & ornatiſſimũ principem incompta epiſtola ſtatui appellare. Primũ itaq; hoc in præcipua felicitatis meæ, ſi tamẽ eſt ulla, parte numero, quod heroi numeris omi-bus abſoluto meũ ingenium, meæ' q; literæ non omnino diſplicent, cuius unius iudi cium mihi pro confertiſſimo theatro habendum exiſtimo. Quid quod ſimiliũ uiro-rum fauor mihi pro baculo eſt, quo animũ in hac ætate ac ualetudine, in his aſſiduis & iniquis laboribus, deniq; in huius ingratiſſimi ſeculi tedijs interdũ fathiſcentem ac ſubſidentem fulciã. Si non datur omniũ applauſum mereri, eſt aliquid his qui in orcheſtra ſedẽt placuiſſe. Iſta tot cõmoda, tot decora, tot animi bona tibi gratularer uir clariſſime, ſi tibi modo ea poſſideres: nũc quũ quicquid in te deus Opt. Max. cõ-tulit, id in omniũ utilitatẽ publice priuatim' q; diſpertias, magis gratulor eccleſiæ ſan ctæ, gratulor Chriſtianæ pietati, gratulor optimis ſtudijs talem patronũ, propugna torem, altorem & amicũ. Poſt diutinam tempeſtatem Italiæ tandem contigit optata tranquillitas, Galliæ poſt diſcuſſa nubila redijt ſerenitas. Feliciter ubiq; refloreſcũt bonæ literæ, licet nuſq; felicius q̃ in Gallia, optimi regis felicibus auſpicijs. Si Ger-mania febrim hanc poſſit excutere, ſperarem aureum quoddam ſeculum, mihi' q; lu beret ſi liceret, etiam repubeſcere. Video labyrinthum uix explicabilem, nondũ ta-men omnem abieci ſpem, præſertim quũ aliquot tui ſimiles uelut aues læta pollicen-

tes appareãt, nec ſinant deſpondere animum. Precor ut Chriſtus regi Chriſtianiſſimo tranquillitatem hanc perpetuam eſſe uelit, ſuam'q; in te munificentiam ſemper augere dignetur. Vnum abs te petam, ut hunc ſeniculum in tuorum clientulorũ adſcribas numerũ, cuius opera ſi quid putabis effici poſſe, connitar ut intelligas omnia mihi defuiſſe potius, q̃ gratificandi ſtudiũ ac propenſam uoluntatem. Datum apud Friburgum Briſgoiæ III. Calend. Februarij, Anno M.D.XXXI.

ERAS. ROT. GVILHELMO IVNIORI DVCI IVLIACENSI S.

VT tu geminum tui μνημόσυνον apud me eſſe uoluiſti clariſſime iuuenis, alterum quod abſenti corporis tui ſpeciem mihi repræſentaret, alterũ quod animi tui ſimulachrũ exhiberet: ita & ipſe geminã cœpi uoluptatem: nam & inſigne poculum meos amicorum'q; meorũ, quibus id oſtentare ſoleo, oculos delectat: & epiſtola tuis digitis depicta, atq; ex iſto pectore deprompta, quoniã admirabilem quandã indolem ſpirat ac refert, hoc uberiore uoluptate perfudit animum meum, quo mentis bona ſunt externis iſtis cõmodis præſtantiora. Tale ſiquidem poculum mittere quiuis principũ poteſt, talem epiſtolam ſcribere nõ ita multi ualeant, primum bene latinã, inſperſis aliquot Græcorum uerborũ emblematis, deinde ſobriam, ſenſibus'q; philoſophicis. Poculo titulum boni ominis addis ἀγαθοῦ δαίμονος. hoc omen ut maxime impreſſerit artifex metallo, tu tamen longe felicius expreſſiſti tuis illis literis, principem nobis & ſalutarem & iſta ditione tum ampla tũ luculenta dignum pollicẽtibus. Dediſti quod & amicis & inimicis oſtentem poculũ, ut amici tanti principis amicitiã mihi gratulentur, inimicis oculi doleant: epiſtolã ut tuæ ſortis adoleſcentes ad philoſophiæ ſtudium extimulem. Merito tibi nõ placet exemplũ Dionyſij, qui celebreis opinione probitatis ac doctrinæ uiros, non in aliud ſecũ habebat, q̃ ut per eos apud populũ honeſtam famam aucuparetur. Hic em̃ fucus erat, non uirtutis ſtudium, & hoc erat abuti cõſuetudine ſapientũ non uti. Tibi uero qui mauis præſtare bonũ principem, q̃ ſimulare, magis arridet illud Sophocleum, σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν σωουσίᾳ. Iam quid iſta tua modeſtia amabilius, quod ditionẽ tam latam tam'q; magnificam Spartam appellas, cuius recte adminiſtrandę q̃ proferendæ tibi maiorẽ curam eſſe ſignificas? Macte iſtius animi eſto princeps inclyte: cuius utinam eſſent omnes monarchæ, leuioribus tempeſtatibus iactarẽtur res humanæ. Iſta nimirũ eſt bona philoſophię pars, quam Plato requirit in his qui Rempublicam adminiſtrant, non ut ſophiſtico more diſputent, de principijs rerum, de infinito, de tempore, de motu, de exhalationibus, de'q; his quæ humi gignuntur, quanq̃ ne hęc quidem ſcire indecorũ eſt principi, ſed ut animum habeant omnibus uulgi cupiditatibus ſuperiorem, omnia'q; facta ſimul & conſilia ſua reipub. cõmodis & honeſto metiantur. Hæc experientia rerum diſcere, quũ perlongum eſt, tum humano generi calamitoſum, quæ non ſolum compendio, ſed etiam tuto, uel e' philoſophiæ præceptis, uel è ſapientum conuictu percipiuntur. Nemine conſulto quicq̃ magnæ rei aggredi tyrannicũ eſt: atqui ut princeps ex uarijs ſententijs, quod optimũ factu ſit, uel eligat, uel eliciat, neceſſe eſt ut ipſe conſultorẽ habeat in pectore. Quot malis uidemus cõcuſſam Galliã & Italiam, imo' totũ fere orbem, hodie'q; concuti: à quibus poteramus eſſe liberi, ſi principes quidã animũ uere philoſophicũ obtinuiſſent, maluiſſent'q; reipub. cõmodis, q̃ priuatis cupiditatibus inſeruire. Huius uero philoſophiæ duplex eſt munus, alterũ ut perſpiciat quid ſit rectũ & utile, alterũ ut ab eo qd̃ ratio ſuaſit, nullo priuato affectu abducatur, ſed in bene conſultis conſtanter perſeueret. Proinde ſpem noſtrã iam pridem de te conceptã non mediocriter confirmat, quod audio tibi parentẽ utrunq; eſſe, quũ alijs principe dignis uirtutibus prædituũ, tũ hac præcipue, quod iuſticiæ tenaciſſimi ſunt aduerſus eos, quorũ immania faci-

nora

nora nullam merentur misericordiã, in quo numero ponendos arbitror, qui latrocinijs infestant uiatorẽ. Id quũ per se sit sceleratissimũ, fit etiam sceleratius, quoties ij qui salariũ accipiũt in hoc, ut regionem purgent latrocinijs, ipsi latrociniũ exercent, nõ sine magno principis dedecore. Sed desino, ne te defatigem prjusq̃ ad uoluminis quod tibi dicatũ mitto lectionem accedas. Dominus te cum illustrissimis parẽtibus seruet incolumem. Datum Friburgi Brisgoiæ anno à Christo nato M. D. XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS IACOBO TVSSANO S.

PRo studio Brixij pariter debemus utriq;, pro officio quod ad sartam inter nos gratiam attinet, nec tu nec ego magnopere debeo. Odiũ in te nullum conceperam, hoc animo natus, ut eruditos uiros de studijs bene merẽtes, ne si occidant quidem, odisse possim. Rem ad me perscripserant aliquot minime leues, non ut uulgo auditam, sed ut compertã omnibus sensibus, ac ut ingenue fatear, persuaserant, nihil tamẽ amarulentius in te cogitabam, sed immodico quodam Budæi studio factum interpretabar, ac tales amicos mihi quoq; optabam, Budæo certe non inuidebam. Argumento potuit esse epistola mea tam leniter expostulans, quũ id temporis maxime ferueret ὁ θόρυβος ἐκεῖνος uere πανικός. Nec enim occurrunt uerba, quibus hoc factum melius exprimam. Sed priusquam Brixius de nobis in gratiam reducendis scriberet, animus erat mihi iam prorsus defecatus, adeo' ut ne in memoria quidem ullum eius rei uestigium resedisset. Quod scribis de magnifica conditione unde mea causa excideris, publice aspersus, nõ satis quid sibi uelit intelligo. Nec enim arbitror unicam eam'q; perbreuem epistolam tãtum apud regios proceres habere ponderis, ut ob eam ueneris in periculum, ne Græca regio stipendio profitendi munus nõ consequereris, præsertim quũ Budæum haberes tuum, cuius suffragium in eo negocio unum plus cęteris omnibus ualebat. Sed hæc utcũq; habent, satius est missa facere. Magis libet tibi gratulari mi Tussane, qui ad munus istud longe pulcherrimũ sis delectus, hoc est, in amplissimũ theatrum productus, unde iam non Gallis tantũ, sed uniuerso orbi istius eruditionis minime uulgaris specimen ædas. Nec dubito quin tu pro tua dexteritate uigilantia' q; sis istam fabulam ita saltaturus, ut & à studiosorum cẽturijs omnibus plausum auferas, & optimi principis, qui præclari instituti est autor, dignitati satisfacias, alioqui cohortarer te, ut amplissimo muneri parem animũ sumeres. Magnopere tibi gratulor & ornatissimi pręsulis Lodouici Canossæ amicitiã, quem mihi apud Britannos nosse contigit, dum autoritate Leonis pontificis maximi dissidiũ inter Galliæ Britanniæ' q; reges cõponeret: admiratus sum ingenium longe dexterrimũ, singularem uero in me fauorẽ, quem & tum præsenti, & mox absenti per literas significauit, uehementer amaui. Fortunã quam mihi tũ illius detulit benignitas, multo rectius in te collocatã existimo. Quanq; istis uirtutibus qui posset deesse fortuna? Tantũ orandum est, ne ea te obruat inundans, neue à studijs auulso tibi manũ inijciat. Quod aduersus quosdam φιλολοιδόρους mihi strenuũ hyperaspisten præstiteris, animũ quidem tuum exosculor, cęterũ nollem te cũ hoc hominũ genere pertinacius cõtendere, ne nõ modo nõ uincas, uerũetiam in me quoq; reddas iritatiores. Melius desinẽt defessi, nullo reluctante. Multi resipiscunt, tametsi quosdã pudet fateri. Nũc aliud lemma quęsitũ est, me totius huius tragœdię seminariũ prębuisse iactitãt. Istiusmodi genus animãtiũ semp habuit mũdus, semper' q; habiturus est. Sed regiũ est male audire, quũ bene feceris. Illud nobis curandũ est, ut omissis crabronibus inter bonarũ literarũ cultores cõstet beneuolẽtia. Nã & hanc Italus unus atq; alter conat̃ dirimere. Ita solent qui tyrannidẽ affectant, aliorũ dissidijs, suas augere uires. Qd' attinet ad ꝑpetuã inter nos amicitiã, apud me quidẽ Brixio nec obside nec teste fuerit opus, posteaq̃ te tabulis obsignatis astrictũ

habeo. Volo autem & hanc epistolam sic ex tempore mea scriptam manu chirographi legitimi pondus habere. Acceperam Danesio delegatam prouinciam græce profitendi, nisi forte duo professores uni linguæ designati sunt. Si quid læsit epistolium æditum, isti nequo facile medebimur. Pergratū erit, si frequenter ad nos scripseris. Bene uale uir amicissime. Friburgi Brisgoiæ III. Calen. Febru. M.D.XXXI.

ERASMVS ROT. FRANCISCO CASSANDRO S. D.

PRo isto tuo tã solicito mei amore, Cassander ornatissime, nisi te uehementer amem, possem è cotibus prognatus, à tigride enutritus uideri. Posteaq̃ apostema ferro apertū est, paulatim reuixi, nec tamen uigor rediit, nisi sub hyemem. Diu post animus à studijs abhorruit, ac ceu Proteus quidã in omnia se uertit, ut e uinculis elaberetur. At ego cõtra hoc acrius cõtendo tenacia uincla. Subinde tentaui, si posset ad opus de ratione cõcionandi incalescere. Nihil egi. Tandẽ extudi, ut sequereť ad tractationem apophthegmatũ: quod hoc argumentũ præterq̃ quod plurimũ habet amœnitatis, uidetur & meo genio cognatũ. In eo an aliquod fecerim operæpretiũ, ipse iudicabis. Enarrauimus psal. xxxiij. in gratiã eximij præsulis optimeq̃ de me meriti VVircenburgẽsis, ab alio tamen designatũ, nec diuinare possum quã ob causam. Nec aliud ferè nobis hac hyeme gestũ est, nisi quod præfati sumus in Aristotelẽ Grẽcum, & in Titũ Liuium quinq̃ lib. auctũ. Scripsimus multas epistolas ad proceres Synodi Augustanę, sed eas nõ expedit hoc statu rerũ euulgari. Habes ad utrunq̃, & quid ualeã, & quid Musarũ auspicijs gesserim. Illud te latere nolim, nihil huc perlatũ præter primas illas tuas literas, quibus per occasionem quęstiũculę nos ad amicitiã prouocasti, & has postremas Idib. Nouẽ. scriptas. Vides itaq̃ quinq̃ illas intercidisse. Equidẽ nihil addubito quin tu pro tua prudentia nihil cõmittas literis, quod cũ uel tuo uel meo periculo ueniret in manus alienas: uidendũ tamẽ est cui cõmittas, ne & tibi scriptiõis opera, & mihi uoluptas pereat, quã ex tuis epistolis nõ uulgarẽ capere soleo. R. D. Antistiti Senecensi, eiusq̃ germano uicecomiti me cõmendabis diligenter. Simulq̃ S. Desiderij prępositũ meo nomine resalutabis amanter. Bene uale. Apud Friburg. Brisgoię prid. Non. Mart. M.D.xxxi.

ERASMVS ROTERODAMVS GERMANO BRIXIO S.

EQuidem tibi gratulor istos dies tam candidos tamq̃ auspicatos euenisse, quibus abfuisti Lutetia: tametsi nobis tam diutinus secessus tuus non leui fuerit incõmodo, nõ tantum ob id, q̃ interim literis tuis, mihi semper iucundissimis frui nõ daretur, uerũ etiã quod negociũ de Chrysostomo uertendo, qđ multis de causis maturatũ cupiebamus, huc usq̃ prorogatũ sit. Nũc res in eũ deuenit locũ ut nescią quid cõsilij capiã. Hieronymus Frobenius summa cõtẽtione hoc mecũ agebat, ut eos cõmentarios uertẽdos susciperẽ. Id quũ pertinacissime recusarẽ, suasit ut prima pars ad te mitteretur, simulq̃ tuũ animũ exploraremus, an totũ opus uelles susciperę. Quũ urgeret interim ille, nec isthinc quicq̃ afferretur responsi, posteriorem uoluminis partẽ cõmisimus Simoni Grynęo, iuueni adprime docto, qui absoluit qđ deerat homilijs in epistolam ad Corinth. priorẽ. An is orsus sit, & quousq̃ progressus, mihi nõ liquet. Rursus ut ille nihil dũ attigerit operis, posteaq̃ tu nõ pateris tibi ullum præscribi temporis modũ, haud scio an typographorũ rationes hoc patiantur. Probo quod mauis, ut scribis, tuæ famæ, q̃ typographorum emolumentis consulere, quod consilium utinam ego semper fuissem sequutus. Sed illis nihilo utilius est lucrum q̃ nobis fama. Nam mihi quidem alioqui hac in re nec seritur nec metitur, nisi quod exemplar non mediocri sumptu meo descriptũ gratis cõmunico. Nunc tibi statuendum est, an uelis tuo arbitratu opus absolutũ isthic ędere, an com-

mittere

mittere ut Frobenius totũ opus ab alijs uersum excudat suò tempore, decreuit enim ad mercatum autumnalem proximum. Hæc tantum uelut ad prudentie tuæ senatum refero. Nam ipse nisi ex amborum sententijs nihil possum certi pronunciare. Quicquid tamen statueris, quod è re tua, tuaq; dignitate esse iudicabis, id scito te nostra amicitia incolumi facturum. Tantum de Chrysostomo, locis communibus prætermissis, in quibus tu quum alia multa facundissime colligis, tum precipue causas, quibus ad hoc operis alacriter suscipiendum sis extimulatus, quod huc inuitarit regia non iam autoritas tantum, sed & benignitas, quod hi cõmentarij citra controuersiam γνήσιοι sint, quod hactenus ab interpretibus latinis intacti: quæ omnia utinam apud te tantum ualerent, ut alijs leuioribus negocijs omissis, hoc totus ageres, & q; primum absolueres. Ne in hoc quidem quod obiter tractas abs te dissentio, eos operam haud qua quam sterilem sumere, qui ab alijs male uersa, denuo sic uertunt, ut & superiorum prodant lapsus, & autoris sensum meliore fide reddant. Hac sententia fuisse uideo Thomam Linacrũ, qui Sphæram Proculi, ab alio nescio quo utcunq; uersam exactius transtulit. Dein Galeni libros περὶ τῶν ὑγιεινῶν, postremo Aristotelis μετεωρολογικά, quæ nondum opinor prodierunt. Eiusdem animi suspicor fuisse Budæum, qui post alios uertit diui Basilij libellum de studijs, ac placita philosophorum à Georgio Vala parum feliciter reddita, postremo librum Aristotelis inscriptum de mundo. Quem enim talis successor non deterreret à uertendo? Sed si quem hic labor iuuat, deum immortalẽ quantus patet campus in Aristotele, in Platone, in Herodoto & Thucydide, in uitis ac moralibus Plutarchi? Vberior aũt fructus rediret ad studiosos, si quod tu feciſti in Babyla, superiorũ interpretum lapsus adnotarentur. Nunc enim quotusquisq; est uel tam ocioſus, uel tam diligens, ut utriusq; uersionem inter se conferat. Verum est aliquod incõmodum his adiunctum cõmodis: qui tractat ab alijs occupata, multis uidetur inuidus parumq; cãdidus: ad hæc audit, nihil esse magni, aliorum inuentis aliquid assuere, & in alieno opere uenari quod carpas. Iam si reprehensor ille labatur, quod & ipsi potest obtingere, nullus est ueniæ locus. Quemadmodũ Raphaël Regius post Philelphum uertit apophthegmata, ac superioris lapsus aliquot prodidit, sed ipse interim insigniter labẽs alicubi: plus tamen mea sententia debetur Philelpho, qui opus hoc suo marte primus aggressus est. Thomæ Linacro pessime cessit quod Proculũ à se denuo uersum regi huius patri dicarat. Andreas quidam Tolasates, præceptor Arcturi principis, & in regnum paternũ successuri, nisi mors anteuertisset, cæcus adulator, nec adulator tantum, sed & delator pessimus, regẽ admonuit hoc libelli iam olim fuisse uersum à nescio quo, & erat, sed misere. Hãc ob causam rex & munus aspernatus est, & in Linacrum uelut in impostorem inexpiabile cõcepit odium: Verum hoc πάρεργον. Porro quod Homericum illud occinis, ὄμμορ ὀφιτέλεσον· ὄου κλέος οὐκ ἀπολεῖται, quũ iudicio consentiamus maxime, tamẽ fato uehemẽter discrepamus. Nihil parere possum, abortio oẽmia. Nec hoc ingenij mei uitiũ ullis remedijs medicabile uidetur. Video qd sit optimũ, sequor peiora. Tussano rescripsi, nec necesse est ut quisq; de mutua inter nos beneuolẽtia fideq; sit solicitus. De Budæo quod scribis magnopere gratũ est, & tibi gratiã habeo. Sũt hic quidam δυσαγγελικοὶ iactantes Erasmũ à Budæo nominatim libris æditis lapidatũ, in epistolis opinor. Sed tu me uetas istiusmodi rumoribus quicq; habere fidei, nec habeo. Demiror tamen opus epistolarũ huc nõ perferri. De Triuultio uideo te nõ aliter gaudio gestientem, q; in Eunucho Terentiana Chærea gestit potitus uirgine, atq; haud scio an sit ille quẽ uidi Patauij rara quadã mirificaq; indole adolescentẽ. Sed quod hortaris ut illum nunc tantum principem meis literis compellem, etiam atq; etiã uidemi Brixi, quo me inducas. Nam ipse sicà tua uoluntate pendeo, ut si in medio foro iubeas restim ducere, facile sim morẽ gesturus. Qua

fronte me illi ingeram? Aut quod suppeditas argumentum? Quid quod illustrem etiam epistolam exigis, scilicet in hoc profundo ocio elaboratã. Vnde tibi istius ocij suspicio uenit in mentem? An Erasmus solet ocium agere? Magnam æstatis partem mihi cum diro apostemate res fuit, nec facile credas & lente tot modis afflicta ualetudo uiriculas suas receperit. Mensibus aliquot per iuges cruciatus, nec somnũ nec cibum capere licuit: post animus sic abhorruit à studijs, ut opus de ratione cõcionandi frequenter tentatũ, frequenter de manibus deponere sim coactus. Tandẽ in alio quodam argumento cœpit utcunq; recalescere, quod nunc pariter & à me cuditur, & à typographis excuditur. Agnoscis morem meum. Verum hoc ita creuit sub manibus, ut in eo totus esse cogar. Quare nondũ statui, an expediat hoc officij in aliud differre tempus. Gaudeo sanè tandem à Brixio audire Asiaticus, qui de Laconismo meo toties queri solet. Fac ut hic Bernardus Bletzius tuas ad me literas referat. Bene vale. Datum apud Friburgum III. Calend. Febru. M.D.XXXI.

ERASMVS ROT. LAVRENTIO CAMPEGIO CARD. S. D.

Ecclesiæ tranquillitatem non tam sperabamus & optabamus. Nunc uideo nihil superesse, nisi ut Christus experrectus iubeat hos rerum fluctus conquiescere. Nonnulla tamen spes adhuc habet animum meum, fore ut deus immittat animo Cæsaris cogitationes pacis, præsertim erga Christianos. Quanta sit Turcarum immanitas iam heu nimium experti sumus. Quid moliantur obscurum esse nõ potest. Quibus quum uix omnibus iunctis tum opibus tum copijs pares simus, quid fiet, si tot modis inter nos dissidentes, cũ hoste non minus potente & crudeli bellũ suscipiamus? Si Germania semel cœperit ciuilibus bellis tumultuari, nolim male ominari, sed deus auertat quod minitantur exordia. Si dissimulato interim negocio sectarum, hoc iunctis uiribus agamus quod summopere urget, spero tempus ipsum aliquam medelam allaturum. Rerum enim immedicabiliũ nullus est efficacior medicus & ὁ καιρός. Vt ne commemorem recens exemplum esse hæreticos armis opprimere, præsertim bello tam late patente. Quod ut maxime sit uetus, tamen magis spectandum est quid deceat Christianam clementiam, quid'q; in commune expediat omnibus, & quid mereatur paucorum improbitas. Non grauatus fuissem isthic adesse, posteaquam ualetudo cœperat esse cõmodior, si spes ulla fuisset meam præsentiam profuturam. Sciebam isthic esse quosdam, qui priuatis affectibus metientes omnia, sibi uideantur strennui propugnatores ecclesiæ, quum nulli eam magis lædant. Quoties congredior cum hostium turmis, statim adest qui mihi à tergo letale uulnus infligat. Scripsi Diatribam, obortus est Stunica cum suis conclusionibus. Scripsi Hyperaspistẽ, exortus est Bedda cum suis uirulentis calumnijs. Scripsi contra Vulturium & Bucerum, exortus est denuo Albertus Pius, qui prius æditis addidit iustum uolumen, in quo collegit ex omnibus scriptis meis quæ uidentur affinia dogmatibus improbatis. Atqui si placet reprehendere affinia, quũ summa ueritas sit affinis falsitati, polliceor me collecturum articulorum duo milia ex decretis pontificum e'que probatissimorum ecclesiæ doctorum monumentis, ut omittam σκανδαλώδη, & irreuerenter dicta. Atqui tale est argumentum quod suscepit Pius, ut si me totis uiribus pergam tueri, per occasionem noceam causæ cui faueo, cuius'q; gratia duarum sectarum irreconciliabile odium in me prouocaui. Si quid acciderit tumultus, ero inter primas uictimas ἐπινικίους: quanq̃ hoc citius patiar, & ut diuellar à castris ecclesiæ catholicæ. Nullos collegi discipulos, nulli sectæ me tet addixi, tantum inuidiæ, tantum'q; periculorum senex & ualetudinarius pati malui, & digitum latum ab orthodoxorum consortio recedere. Itaque ut demus in tot libris aliquid à me scriptũ incautius, tamẽ hic animus promerebatur aliquanto maiorem fauorem.

Hæc in

Hæc in sinum unici patroni mei, quem semper mihi fauentem expertus sum effundere uisum est, ut quando superiora reuocari non possunt (iam enim Pij liber excuditur) in posterum cohibeas illorum feras querelas, uel insimulationes potius, mihi periculosas si obticescam, ad cohercendas hæreses inutiles si respondeam. Quod ecclesiasten Thannensem ex mea cõmendatione statim absoluisti, habeo gratiam humanitati tuæ, mihi non nunc primum expertæ. Non eram his literis interpellaturus occupationes tuas & plurimas & grauissimas, nisi denuo iussisses ut scriberem. Si quid hic pecco, uel obsequio condonandum est, uel conceptæ iam olim de singulari bonitate tua fiduciæ. R. D. T. incolumem florentem q; tueatur dominus Iesus. Datum apud Friburgum Brisgoiæ Anno M. D. XXX.

ERAS. ROT. IOANNI CARD. LOTHORINGIAE S.

Nerauit me tua benignitas tam graui sarcina munificentiæ, ut nec inueniam qua ratione queam aliqua ex parte reponere quod accepi, & pudeat gratias agere: pro mediocribus enim beneficijs gratias agere uulgi mos est: non iam loquor modo de splendidissimo plane q; regali tuo munere, sed multo magis de singulari istius in me animi studio atq; fauore. In tanto principe tam humanitatem non possum nõ amare, etiam si mihi nulli bono fuisset. Nam eximia uirtus per se speciosa est & amabilis. Superest igitur ut interea prædicem & tuã bonitatem & meam felicitatem, donec sese offerat opportunitas, qua me apud omnes ingrati hominis suspicione liberem. Inter Cæsarem & regem Galliarum sartam amicitiam uehementer utriq; gratulor, sed utinã id factum esset tum maturius, tum legibus aliquãto mitioribus: sed hanc cicatricem facile abolebit tempus, omnia uel tegens uel deliniens. Cæterũ ut uideo, tumultus tumultum excipit, ut aduersus Turcam nobis succedant omnia, certe diutinum atq; atrox bellum prospicio: & si continget uictoria, uereor ne sit Cadmæa quod aiunt, ut non minus ploret uictor q; uictus. Sed quoniam bellorum exitus supremo numini sunt in manu, ab illo postulandus est euentus si parũ lætus, certe salutaris. Qui has perfert, uehementer cupit tuæ sublimitati commendatus esse, & per eam illustrissimo Lothoringiæ duci germano tuo, ut si quis locus uacet, apud illum recipiatur in statum nobilium. Parentem habet præpotentem, singulari q; prudentia & integritate præditum, ut inter illius decora, minima portio sit nobilitas. Hic iuuenis patri simillimus est. Iam nulli non cognitum est quæ rerum undæ iam pridem agitent ciuitatem Basiliensem, & subinde noui aliquid existit. Ea res in causa fuit, ut multi præclari ciues solum uerterint, ultro q; sibi quodammodo exilium indixerint, dum malunt rei q; religionis iacturam facere, ac prius habent solum uertere q; institutum. Quorũ de numero sum & ipse, qui non solum rei familiaris graui dispendio, sed & summo uitæ periculo reliqui nidum cui tot annis assueueram. Spero futurũ, ut ipse iuuenis suis moribus se tuæ sublimitati cõmendet, ad omnem uitæ functionem dexter & habilis, siue domi res sit gerenda, siue tempus strennuũ militem postulet. Ad hæc germanus est uxori Henrici Glareani, quem uirum eruditione uaria clarum & de studijs optime merentem nouit opinor tua celsitudo, ut officio quod in hunc iuuenem collocaris, duos iam olim tibi deuinctissimos redditurus sis multo deuinctiores, Erasmum & Glareanũ. Nec dubito quin & apud te, & apud fratrem Christianæ pietatis amantissimũ principem plurimum ponderis sit habiturus iuuenis animus, qui quũ possit apud suos non solum cõmode, sed etiam honorifice uiuere, mauult carere patriæ cõmodis, q; ea profiteri, quę sibi persuasit à synceritate Christianę religionis abhorrere, præsertim quũ hæc rerum procœmia cordatis uiris exitum cruentum portendere uideantur. Deus omnia uertat in tranquillitatem, qui tuam celsitudinem diu seruet incolumem.

Erasmus

ERASMVS ROTER. CAROLO MONTIOIO S.

VIx ullo ſermone conſequi queam Carole iuuenis ornatiſſime, ꝙ Mecœnatem illum meum parentem tuū, quo nihil adhuc expertus ſum candidius, humanius, amicius'ue, conſpicor in te mihi repubeſcere, tantū beneuolentis animi, tantū amoris non uulgaris ſpirant tuæ literę, ut idem pectus agnoſcam, ſed uiuidius & explicatius. Nec dubito quin hæc res non minori voluptati ſit patri tuo, cꝫ eſt mihi, eſt aūt mihi credę ſummæ. Compluribus enim tales obtingunt liberi, ut patres orbis inuideant. Cæterꝝ ubi contigit hęres, qui parentem non tam oris lineamentis, cꝫ ueris animi bonis referat, ea demū magna vera'cꝫ uoluptas eſt. Quod ad corporis formam attinet, mihi prorſus ignotus es, niſi ꝙ Quirinus meus narrauit te hac quoꝙ hominis parte mirū in modum reddere genitorem tuū. Animi tui dotes mihi uelut in ſpeculo tua repræſentauit epiſtola, quæ ſi tuo unius marte cōfecta fuit, ſicuti fuiſſe nihil addubito, raram quandam & eximiam indolem præ ſe fert, nihil'cꝫ mediocre nobis de te pollicetur. Clariſſimus genitor tuus inter tot præclaras uirtutes quibus expolitus eſt, nihil habet mea ſententia pulchrius, cꝫ ſingularē illam modeſtiam, quæ vix dici poſſit, quantū ornamentis illius omnibus apponat gratię. Modeſtiæ comes eſt urbanitas ac morū comitas. Hanc dum tu quoꝙ ſtudes egregijs decoribus tuis uelutí colophonem addere, non committis, ut quicꝫ patriæ laudis in te deſideremus. Aliarꝝ uirtutum certiſſima cuſtos eſt modeſtia. Modeſtiæ porrò cuſtos erit, ſi cogites quicquid uel animi, uel corporis, uel externorꝝ bonorū tibi contigit, è numinis munificētia profectū eſſe, cui in ſolidū oportet acceptū ferre, qcquid obtingit in hac uita felicitatis. Eſt autē aliqua gratitudinis portio, ſua quenꝙ bona noſſe, nō quemadmodū nouit Narciſſus, cui ſua philautia fuit exitio. Vtiliter ſua bona reputat, qui ea veluti nomina ſupputat, nec aliud colligit ex bonorꝝ ſuorū cōtemplatione, niſi vt perſpiciat quantopere ſit obſtrictus diuinę benignitati. Eā quo perſpicit in ſe fuiſſe profuſiorem, hoc illi ſubmiſſior fiat oportet, hoc de tuendis, de'cꝫ recte collocandis quæ accepit ſollicitior, quo largiorē agnoſcit in ſe numinis benignitatem. Is ſi quem conſpexerit maligniore fortuna, non ita cogitat: quanto hic me eſt inferior: ſed ideo domini largitas in me plus contulit, ut huic per me ſubueniret. Ne vulgare beneficiū numinis exiſtimes, talibus prognatū eſſe maioribus, tam amplæ fortunæ paratū hæredem, tot corporis & animi dotibus eſſe præditū. Confer aliorꝝ ſortem, quorꝝ uirtutibus obſtat, generis obſcuritas, rei familiaris tenuitas, corporis imbecillitas, ingenij paupertas. Verꝝ hos qui deſpicit, non meminit gratuitę eſſe munificentiæ quicquid accepit. Qui non opitulatur, non animaduertit, in quem vſum creditum ſit quod accepit. Quare te hortor Carole ſuauiſſimè, ut hoc voluptatis nobis tuis'cꝫ omnibus indies augere contendas, tecū ipſe certans ut quotidie te ipſo melior euadas. Singularem tuam erga me pietatem lubens exoſculor, animi tui gratiſſimam voluntatē amplector: tametſi ſi quid officiorꝝ in clariſſimū parentem tuū impendi, ille cumulatiſſime rependit: quod etiam ſi minus eſſet factū, tamen hæc voluptas quam ex tuo profectu capio, iſte tuus animus paratus etiam in meos reponere, ſi fors tibi ſerius contingat referendi facultas, cꝫ mihi vitæ finis, mihi pro ampliſſime relata gratia eſt. Ea tantum apud me creſcet, quantū tu pulcerrimis cœptis tuis adieceris incrementi. Quod ſerius tuis reſpondeo literis, aduerſa ualetudo fuit in cauſa, quæ me tota æſtate diſcruciauit. Quod nunc etiā minus appoſite reſpondeo, in cauſa eſt, ꝙ epiſtolam tuā in hoc ſepoſitam ut ſimulatcꝫ daretur ociū reſponderem, nancíſci non potui. Verꝝ hoc aliâs penſabitur. Dominus Ieſus ſuam in te munificentiam tueri, ſemper'cꝫ nouis acceſſionibus augere dignetur Carole fili chariſſime: Idē coniugiū tuū bene fortunet. Apud Friburgū Briſgoiæ. viij. Cal. Septemb. M. D. XXX.

Eraſmus

ERASMVS ROT. MATHIAE KRETZERO CONCIONATORI S.

QVæ de nouatis istic rebus scribis, sed non solus, magno cum animi dolore legi. Vereor ne quid isti ciuitati inter Germanicas præcipuæ tum nobilitatis, tũ opulentię accidat quod nollemus. Cæsar habet acres iras, nec parũ excelsi animi est rex Ferdinandus. Cũ Turca aiunt fore fœdus. Nec desunt qui Cæsari & huius germano satis ut uidetur iritatis, suffundant frigidã, & oleum addant camino. Diuinat opinor tua prudentia quos sentiam. In proximo sunt Bauarię duces, hi quo quæso speciosiore titulo possent augere ditionem suam, q̃ expugnandarũ hæreseon, ac propugnandæ fidei catholicæ? Nescio an isti malo nõnihil addiderint purpurati quidã, qui quũ non ignorent ex luxu fastu q̃ sacerdotum potissimum natam & conflatam hanc inuidiam, tamen isthic, ut scribunt, incredibili pompa gesserunt sese, comessantes, totas interdum noctes ludentes aleam, id q̃ non inscia plebe. Iam taceo de quorundam sæuitia, qui minis, conuicijs, ac supplicijs hoc fatale malũ consopiri, uel magis opprimi posse confidunt. Quod erat omniũ præsentissimum remedium, id prorsus negligitur. Quid istuc inquis? Vt ecclesiæ proceres ad meliorẽ conuersi frugem subducant orbi tumultus huius seminarium. Sic Christus adiungeret suũ brachium. Nunc perinde quasi sit prorsus humanum negocium, ac non potius uindicta numinis, hominũ sceleribus nimium efferuescentibus iritati, ad mundana præsidia toti spectamus: crescit ecclesiasticorũ fastus, ne dicam tyrannis, crescunt opes ac luxus, nec decrescit libido. De pontifice non est meũ iudicare, sed tamen qui huc ex Italia ueniunt, narrant quæ sine mœrore audire non possumus. Quàm inclementer à Clemẽte tractata est Florentia? Mihi uidet hoc habere in animo, ut fauore principũ ac multitudine cardinalium obruat hoc orbis incendium. Verũ istuc quid aliud est q̃ magis etiam iritare deum? quasi mundus possit mundum uincere. Solus Christus uere dixit, ego uici mundum. Si prophani monarchæ diligunt opes & gloriam, utcunq; ferendum est: & haud scio an expediat esse tales aliquot, qui malo nodo malum adigant cuneum. Sed si qui primas tenent in ecclesia, se monarchis præbeant non magistros & admonitores, sed mancipia, cupiditatum q̃ ministros, obsecro te quid spei est illi columbæ, quam unice deamat sponsus? Quidam classicum canunt ad hæreticos armis deijciendos, huc tantũ spectantes, ut sacerdotibus opes, otium, & autoritatem uindicent. At ego uereor ne dum principes alij nos impugnãt, alij tuentur, utrinq; spoliemur, ac bellũ pio titulo susceptũ non minus exitiosum sit ecclesiæ, quàm funestum Germaniæ. Faxit Christus optimus maximus, ut hoc meũ uanum sit auguriũ. Quanquam hactenus quod diuinaui uerius fuit q̃ uellem. Primum ubi prodierunt Luteri placita de indulgentijs, silentium erat optimum. Respõdit Prieras satis gloriose, & primus cicadam, ut Græci dicunt, ala corripuit. Respondit alter Saxonice. Ibi Iacobus Hoechstratus, quo suppetias ferret suis Dominicanis, nullũ non mouit lapidem, ut excitaret academias, nominatim Lutetianam, Colonienſem & Louanienſem. Duas posteriores utcunq; cõmouit hucusq;, ut in Luterũ æderent articulos satis moderatos, id q̃ ut opinor, ex sententia Adriani postea Romani Pontificis. Ea res tametsi non erat indigna Theologis, tamen pleriſq; nihil aliud q̃ risum excitauit, præsertim articuli Colonienſium. Sed quum quidam nondum lectis Luteri libris apud imperitam multitudinem seditiose uociferarentur, in primis Carmelita quidam morosissimis moribus: admonui his rationibus spargi malum, non extingui: populus enim libenter audiebat esse qui docerent non esse necessariam exomologesim, superuacaneam esse satisfactionem: aut silentio negligerent hominem, aut scriptis agerent inter se docti. Contemptum est hoc consilium, et gratiæ loco tuli quod audiebam Luteranus, quum primus omnium illi negocio re-

clamarim, proq; uirili obstiterim. Euenit quod prædixeram, glíscebat indies incendium. Tandem Carmelitæ uísum est, ut carceribus ageretur & incendijs, & huc ut uere dicam, prouocabat multorum nouis dogmatibus fauẽtium improbitas. Venit διπλωματοφόρος ab urbe cum bulla terrifica, minitans omnibus, & quacunq; Cæsar iret, fumis & librorum incendijs implens omnia. His rebus quum nihil aliud excitaretur q; risus, impetratum est diploma Cæsaris. Id ẹditum est ante tempus, quemadmodum & bulla Leonis per monachos exierat priusq; ille uellet. Datus est Carmelitæ & huic simillimo collegę gladius. Cœpta est carnificina. Tandem Bruxellæ tres Augustinenses publicitus affecti sunt supplicio. Quæris exitũ? Ea ciuitas antea purissima, cœpit habere Luteri discipulos, & quidem nõ paucos. Sæuitũ est & in Hollandia. Quid multis? Vbicunq; fumos excitauit nuncius, ubicũq; sæuitiam exercuit Carmelita, ibi diceres fuisse factam hęreseon sementem. Hic aula principis animaduertens ita rem geri per furiosum monachum, ut omnia spectarent ad seditionem, exarmauit illum cum suo collega, & alijs theologis non monachis eam prouinciam delegauit, aliquanto mitioribus: quanq; & aula sustulit aliquot, plures metu repulit. Interim ego dum alteram partem hortor ad meliorem mentem, alteram ad efficaciora remedia, utriq; factus sum hæreticus. Sed ut prolixam fabulam in pauca conferam, hucusq; serpsit malum, eoq; incruduit, ut res ad arma spectare uideat̃. Quod si fiat, nolim male ominari, tantum precor, ut dominus omnia uertat in bonum exitum. Si præmium expectassem ab hominibus, deplorarem gratis collocatam operam, proq; benefactis reportatam ignominiam: nunc quum certarim agonothetæ Christo, leuius fero mortaliũ ingratitudinem. Non sum tam ebes quin uideam, quę scribendo Romanensi regno placere possim. Hæreticis mederi malim q; probari. Quàm mihi cum illis conueniat nescio, illud constat nullius nomen eis inuisius esse q; Erasmi. Quid igitur dicam de illo amico tuo, quem & meum esse credideram, qui me isthic tam inclementer lingua proscidit, quum apud omnes, tum præcipue apud nobiles & magnates, ac multis persuasit, nimirum ἐρήμην νικήσας? Sed hæc Christus uiderit. Omissis querimonijs ad tuam epistolam redeo. Illud unũ uideo superesse, ut dominus suo ineffabili consilio his malis finem imponat, quandoquidem hominum consilia nihil aliud hactenus q; malum exasperant. Quis expectasset tantam in Oecolampadio mutationem? Ante cucullam plane monachus erat, & superstitione nostro sodalitio submolestus, nunc quanto alius sit, obscurum non est. De altero qui à Luteranismo, atq; etiã anabaptismo, redijt ad ecclesiam, tale nihil inaudieram: sed tamen illi gratulor, tametsi suspicor illum eam non admissurum gratulationem. Sperserum quem memoras non noui. Tuam eximiam perpetuamq; pietatem non solum ex tuis literis, uerum etiam ex aliorum scriptis cognoui, dominiq; benignitatem in te exosculor, gratulor etiam felicitati tuæ, qui tot annos eadem in urbe facta uerbi diuini semente, cum bona gratia collegarum tuorum ad ampliorem fortunam uocaris. Ioannem Fabrum Dominicanũ noui, hominem in Thomistica theologia pulchre doctũ, sed mire uafrum ac uersipellẽ. Is Romæ cœpit in me debacchari, uidelicet quo se recõciliaret cardinali Caietano, de quo mihi tanta narrarat mala, ut nullus scurra in scurram posset dicere plura. Obisse nunc prmũ audio, dominus illius misereatur. Ex superioribus literis uidere mihi uideor, nec tuum animũ omnino ab hac suspicione purum, quasi non essem alienus ab his sectis, donec prodisset epistola ad Vulturium, rursus apologia ad librum ecclesiastarũ. Atqui si legisses seruum arbitrium Luteri cum mea diatriba, quam odiosissime lacerat: rursus duos hyperaspistas, quibus illi respondi: ad hæc libellũ aduersus Leopoldum, ut iam dicere supersedeam tot epistolas, quibus declaro meum animũ, fortassis aliter de me sensisses, Si cũ illis sentirem, quid opus erat relinquere nidum familiarẽ, magno rei familiaris

miliaris detrimento, ſummo'q; ualetudinis periculo? Sed in libris extant quædā dogmatibus improbatis affinia, id quū à multis malicioſo ſtudio ſit tentatum, nullus adhuc potuit ullam ſententiam adferre pugnantem euidenter cum articulis fidei. Quis unquam quicquā adeo circumſpecte ſcripſit, quod maleuolus non poſſit uel ſcandali, uel ſchiſmatis, uel erroris, uel temeritatis, uel alio quopiā titulo traducere? Quàm uero ab hæreſibus abhorream, uel illud ſatis arguit, quod in hunc uſq; diem iritatus à Dorpijs, Leis, Stunicis, Beddis, Sutoribus, Clithoueis, aliȷs'q; multis, nulli ſectæ nec duçem me præbui, nec comitē, planè facturus niſi magis timuiſſem deum q; homines: ita ſaltem licuiſſet ulciſci quoſdam meo more. Sed ut in nullius hominis odium hæreticus eſſe uolo, ita nolim in eorum gratiam, qui mundum diligūt, Chriſti gloriam obſcurare, duntaxat ſciens. Theologi ſatis habent negocij cum dogmatibus impijs, etiamſi non rixentur de male ſonantibus, male iacentibus, offenſiuis, affinibus & ſuſpectis, adde non intellectis et ad calumniam deprauatis. Complures enim Beddæ calumnię hinc naſcuntur, quod non intelligit ſermonem Latinū. Mihi perſuaſi te uirum æquū eſſe, utinam legiſſes quæ Leo, Stunicæ, Sanctio, monachis Hiſpanis, Beddę, & alijs reſpondi. Iam ſuſpicor & tibi aliqua ex parte perſuaſum, in dialogis meis eſſe centum hæreticas opiniones. Codicem lubens ad te mittam, ſi nactus fuero cui tuto credam. Chryſoſtomus non tam à uobis deſideratur, q; ipſe deſiderat emptores, ubiq; proſtans. Apophthegmata iam meas exierūt manus, ex officina typographorum prodibunt intra dies octo. Riſi Polyphemum, qui ſemper et ubiq; ſui ſimilis eſt. Nihil illi magis conuenit, q; ut in aula quapiam præpinguis Abbatis agat morionem. Bene uale uir in domino chariſſime. Datum apud Friburgum v. Id. Martias, Anno M. D. XXXI. à Chriſto nato.

ERASMVS ROTERODAMVS GVOLFANGO REMO S.

EGo uero non in poſtrema felicitatis meæ parte pono, quod ornatiſſimum uirum patrem tuū, te' q; patris optimi ſimillimū iuuenem habeam amicos tam candidos. Vt autem ad tuas literas non minus elegantes q; humanas paucis reſpōdeam, ſic in præſentia diſtrictus laboribus, ut uix aliās æque, Optarim meas lucubrationes aliquid habere tali dignum ingenio. Rudi ſeculo fortaſſis excitauimus iuuenum ſtudia, preſertim apud Cimbros & Batauos: nunc alia eſt ætas, ut de meis ſcriptis nō iniuria dici poſſit, ἄλις ἅγυδις. Mihi quidem nihil accidere potuit exoptatius, q; prouentu felicioris annonæ, meam ſiliginem euileſcere. Iſtuc non niſi ſummo uitę diſcrimine proficiſci licuiſſet, itaq; malui uiuere. Tum habebam perſpectum, ſi ueniſſem, citius futurum ut aliquam nouam tragœdiam in meum caput excitarem, q; ut ueteres tumultus ſedarem. Noueram à quorum iudicio penderet Cæſar, nec me latebat quales iſthic adeſſent theologi, quibus ilico plusq; Luteranus eſt, qui pro negocio pietatis auſit hiſcere. Et ſum natura fucorum impatiens, linguæ liberioris. Quod ſi me ad quorundam affectus attemperaſſem, multa dicenda erant aduerſus meam ipſius conſcientiā. Itaq; ualetudini quanq; permoleſtæ, propemodum hoc nomine gratiam habeo, quod per illam licuit iſthinc abeſſe. Dominus non ſinet nauiculam ſuam obrui fluctibus, utcunq; fremit hoc mare. Non magni refert ubi corpuſculum hoc ſepeliatur. Auguſta mihi abunde cōmendata eſt, tantum uereor ne ſi iſthic orta fuerit tempeſtas, nō perinde liceat fugere, atq; hinc obuicinam Galliam, & procliuem in Brabātiam reditū, nimirum Rheno ſecundo. Hoc rerum ſtatu difficile eſt aliquid certi ſtatuere, quū incerta ſint oīa, ut gladiator in harena, ita ego ex tempore cōſilium capiā oportet. Interim Guolphange chariſſime mutuis literis nobis inuicem fruemur. Patrem tuum clariſſimū uirum meis uerbis quæſo ut ſalutes diligēter. Si Polyphemum inuitas ad potandum, planè τὸν ἵππον εἰς ᾠδίον.

Si conaris illum explere uino, planè id agis quod apud inferos Danaides. Hoc tantum licuit in præsentia. Bene uale, Friburgi postrid. Calend. Ian. M.D.XXXI.

ERAS. ROTERODAMVS GVILHELMO MONTIOIO ANGLIAE BARONI S.

SEreniſſimæ Reginæ munus mihi fuit longe gratiſſimũ, quanq; illius animus mihi ſine ullo munere abunde ſufficiebat. Sic enim amo inſignem illius fœminæ pietatem & eruditionẽ, nobis ignauiam ac mores corruptos exprobrantem, ut mihi beneficiũ accipere uidear, ſi quid illi queam facere gratum. Habet ſui ſimillimã neptem Mariam quondam Vngarię reginam, cui dedicauimus Viduam Chriſtianã, quæ quanto affectu libellũ acceperit, quanto'q; ſtudio euolue rit intelliges ex epiſtola, quã miſi Margaretæ filiæ Mori. Si regis Ferdinandi res eſſent proſperæ, ſat beatus eſſet Eraſmus. Nihil enim eſt illo uel ſyncerius uel amicius. Nobis nihil promeritis ſic fauet ex animo, ut non ſolum ea libenter præſtet quæ rogamus, uerumetiã ultro addat, quę putat mihi fore cõmoda. Sed Turca ſic irrupit in Vngariã, ut Auſtriæ quoq;, Poloniæ, uicinis'q; regionibus ac fortaſſis Italiæ quoq; ſit metuendũ. Audio coiſſe pacem inter monarchas, utinã maturius. Huius tamẽ felicitatis bonam partem debemus regi ueſtro, qui ſumma conſtantia pari'q; prudentia non conquieuit, donec potentiſſimos totius Europæ monarchas inter ſe conglutinaret, quod bonum utinã ſuperi nobis perpetuũ eſſe uelint. Opinor tuam humanitatem boni conſulere, quod adagiorũ inſcriptionem uoluerim tibi cũ Carolo filio tuo quodãmodo eſſe cõmunem. Viſum eſt eñ hoc addere calcar adoleſcentuli ſtudijs excitandis. Donec ſpes eſſet, continui me Baſileæ: ſublata ſpe, commigraui Friburgum Ferdinandicę ditionis oppidũ, ut magno rei familaris diſpẽdio, ita ſummo ualetudinis diſcrimine. Vix enim ſperabam hoc corpuſculũ adeo quaſſum, ut ad uini mutationem, aut aliam q̃uis leuem occaſionẽ periclitari ſoleat, tantã rerum mutationem laturũ. Malui tamẽ in capitis diſcrimen uenire, q̃ quæ illic gerebant̃ probare uideri. Omnia ſunt hic chariſſima, ac multis commodis quæ mihi ferebat officina Frobenij nũc careo, tamen hic hyems peragẽda eſt. Si ualetudo eſſet mediocris, nec opes deeſſent nec dignitas. Verũ ut dicere ſolebat tua celſitudo, fortuna nũc cibum offert edentulo. Miſere metuo ne nobis hic funeſtum bellũ gignat Euangeliũ, adeo ſubinde procurritur ad arma. Auguſtinus totus prodijt, qui me propemodũ confecit. Optarim Theologis quibuſdã meliorẽ mentẽ, qui ſuis tumultibus malũ exaſperant, dum parũ dextre ſtudẽt mederi. Tedet huius Herculani fati, perpetuo cũ monſtris depugnandũ. Opinor ab orbe condito nõ fuiſſe ſeculũ turbulentius, adeo' diſſidijs ubiq; feruent omnia. Nunc Ciceroniani moliũtur nouam tragœdiã de nihilo, quod maluerim bonas literas ſonare Chriſtum, q̃ Romulũ, q̃ Iouem opt. Maximũ. Si ſereniſſima regina nõ legit Viduam Chriſtianã, roga ut dignet̃ legere. Nam illic illius aliquoties fit mentio, apud quam te rogo, ut mihi ſis epiſtolæ loco. Nunc enim quũ maxime cuperẽ ſcribere, nec per ualetudinẽ, nec per temporis anguſtiã licuit. In tantis moleſtijs magnã animo perſentio uoluptatẽ, quũ audio te patronorum uetuſtiſſimũ, & amicũ incõparabilem recte ualere. Spero Card. Campegium iampridem diſcuſſiſſe nubeculã illam quã ſcis. Nos in manu domini ſumus, qui uos omnes ſeruet incolumes. Datũ apud Friburgũ Briſgoię Natali uirginis matris M.D.xxix.

ERASMVS ROTERODAMVS THOMAE MORO S.

QVo diutius grauius q; nos torſit pacis inter potẽtiſſimos orbis monarchas expectatio Thoma More amicorum optime, hoc uberiore gaudio nunc exultamus ſublatum exitiabile diſſidium, adeo' ut nondum ſatis audeamus felicitati noſtræ fidere. Perdurat quidẽ conſtans rumor, perſcribitur multorũ epiſtolis,

epiſtolis, narratur multis haud quaquã leuibus autoribus: ſed tamen adhuc ueluti ſomnium audire uidemur, quod accidere ſolet poſt ſummũ dolorem, rebus ſubito in uehementer lætum exitum cõmutatis, quemadmodũ accidere ſolet in tragœdijs, deo quopiam repente de machina ſemet oſtendente. Neq; uero neſciunt homines ſe bonã huius gaudij partem debere inuictiſſimo Angliæ regi Henrico octauo, qui ſumma prudentia pari'q; conſtantia non conquieuit, donec immedicabilẽ, ut uidebatur, diſcordiã uertiſſet in omnibus exoptatã concordiam. Supereſt omnibus uotis cõprecari ſuperos, ut hoc munus ſuum uelint nobis eſſe perpetuũ: aut ſi in rebus mortaliũ nihil omnino perpetuum eſt, certe diuturnũ. Ego ſanè per q; lubens optimi pacificatoris tam pium uere'q; Chriſtianũ animũ aliquo monumento poſteris ſi qua poſſim, fecero teſtatũ. Mihi ſat beatus uiderer mi More, ſi Ferdinando regi res tam eſſent ſecundæ, q; illius inſignis pietas promeretur, qui mihi profecto uidetur ad omnem uirtutem natus. Eraſmo tam candide fauet, ut amiciorem animũ optare non poſſim. Ante bienniũ inuitauit me Viennam, ſalario. cccc. florenorũ, tantum ut illic uiuerẽ. Nuper bibonem quendã tribus uerbis cõmendaram epiſcopo Tridentino illius cancellario, ut eſſet in numero ſatellitũ equitũ, Rex ilico locũ dedit, Quid inquiens nõ facerem pro præceptore meo Eraſmo? Nihil unq; de illo ſum meritus: quid non faceret, ſi quid officij in illum collocaſſem, qui nũc nullam occaſionẽ prætermittit mihi gratificandi? Sed nondũ fortuna reſpondet optimi principis egregijs dotibus. Nuper Spiræ fuit ut ſcis cõuentus principum, petebatur ſubſidiũ aduerſus Turcas imminentes Vngariæ. Oblata eſt ſumma pecunię tã exigua, ut maluerit pro animo gratias agere, q; pro munere debere. Quid acciderit Mariæ Cæſaris ſorori, & huius marito Lodouico norunt omnes. Nunc Turca rurſus inuaſit Vngariã, bonam'q; partem populatus eſt. Maria cui dicaui Viduã, metu ceſſit in Morauiæ ciuitatem uulgo dictã Suamen, ne Viennę quidẽ ſatis fidens. Turca horret Cęſaris indies creſcentem potentiã, eo'q; maluiſſet Ioannem uicinũ regem q; Ferdinandũ. Et fortaſſis aliquis dicet, hic quoq; ſatius futurũ fuiſſe dimidiũ accipere q; totum. Sed arbitror diuinum conſiliũ alio'ſpectare, nec dubito quin æterni numinis bonitas omnia uerſura ſit in lętum exitũ, ſi nos animũ ad ea uerterimus quæ illi ſunt placita. Ea quæ ſint nõ tam ignoramus q; diſſimulamus. Vtinã Cęſar maturius cõpoſito cum Gallorum rege diſſidio, fratri ac ſorori ſuę in tempore adfuiſſet. Metuo ne nimiũ diu illum moretur Italia, & pontificis amplexus, cui nõ dubito quin pro ſua religione ſit exhibiturus honorẽ omnem quẽ filius debet patri. Sed utinam ille gloriã ab hominibus ob Chriſtũ exhibitã Chriſto transcribat, q; tamen hunc Clementẽ facturũ nõ diffido. Fœderibus principũ admiſceri pontificẽ, mihi nec pontifici uidetur expedire, nec Reip. Chriſtianę. Ille maior eſt q; ut ullo fœdere ſit aſtringendus, mea quidẽ ſententia. Si reſediſſem Baſileæ, Theologi clamaſſent me cõprobaſſe quæ illic gerũtur. Nũc quidam iactant me ceſſiſſe metu, quũ diſceſſerim omnibus dolẽtibus, etiam ijs quorũ dogmata palàm ac libere deteſtabar. Sanè inuitus reliqui nidũ quẽ tot annis preſſerã, & talis erat ualetudo, ut nullã omnino mutationẽ latura uideretur. Nec me clàm erat, quanto diſpendio migraturus eſſem: ſed de uita periclitari malui, q̃ uideri cõprobator talis inſtituti. Erat bona ſpes rem ad moderatũ ſtatũ redituram, ſed duo monachi alter cõcionator in ſummo, alter apud ſuos Dominicanos, excitarũt nobis hunc tumultũ. Illi quidẽ fugerũt, alij uero feriũtur malo. Georgius Saxoniæ dux nõ minus odioſe conflictat cũ Lutero, q; ego cum Thraſone quodã nugaciſſimo. Admonui illũ ut negligeret hominẽ, cui plus ſatis feroci adderet animos. Interim triumphat, qui tanto etiam principi faceſſat negociũ. Hactenus profectio ualetudini profuit, id'q; prȩter omnẽ ſpem. Aeſtas hic uehementer arriſit, ſed autumnũ metuo, oppidum ſemicinctũ eſt proxime imminentibus mõtibus, ut uix ullus dies abeat abſq;

nube aut nebula. Magiſtratus mihi deſignauit ædes plane regias, pridem extructas Maximiliano Cęſari, ſed imperfectas, & æſtati q̄ hyemi aptiores. V tinā liceat adhuc ſemel in uita uidere amicos mihi chariſſimos, quos in pictura quā Olpeius exhibuit, utcūq; cōſpexi ſumma cū animi mei uoluptate. Bene uale cū tibi chariſſimis oīmibus, Datū apud Friburgum Briſgoiæ Nonis Septemb. Anno M. D. XXIX.

ERAS. ROT. ERARDO EPIS. AC CARD. LEODIENSI S.

IMportunus haberi ſolet qui uehementer occupatos interpellat, cæterum qui pietatis ac fidei negocia tractantibus obſtrepit, iure uenit in periculū, ne nō improbus modo, uerumetiā impius habeatur. Itaq; quo leuius peccem, paucis expediam quod uolo. Non rogabo tuam ſublimitatem, ut in tuendo Eraſmo uetere clientulo ſuo, ſui ſimilis eſſe uelit: noui cōſtantiam animi tui, ſcis q̄ nō ſoleam eſſe flagitator. Sed nunc pręter morem meū agam petacem. Audio te non ſolum ditionem tuam, uerꝝ etiam Cæſareæ ditionis urbes magnificis ædificijs exornare: quæres tibi non mediocrem liberalitatis atq; adeo pietatis in remp. laudem conciliat. Fatentur enim omnes merito in unū tantum opū ac dignitatum congeſtū, qui quod nactus eſt facultatū aut ſplendoris, non ſibi uindicat, ſed ad publicā cōfert utilitatem. Perſpicit opinor tua prudentia, collegiū trilingue, quod Louanij nuper inſtitutum eſt, non infimum eſſe Cęſareæ ditionis ornamentū. At cenſus ſunt admodū tenues, uix' q̄ ſufficiunt neceſſarijs impendijs. Regiū erat negociū, quod uir immortali hominū memoria dignus Hieronymus Busleidius animo conceperat, cuius benignitatem ſi facultas æquaſſet, nihil opus eſſet alienis pręſidijs. V niuerſam fortunā ſuam huic pulcherrimo impendit negocio, cui ſi tua ſublimitas fauere dignabitur, ut optime mereberis de ſtudijs, ita & apud homines plurimū ueræ gloriæ comparabis, & deo rem cū primis gratam fœneraris. Nam quo uerbo potius utar, quū pro temporaria munificentia, cœleſtis uitæ pręmiū reponitur? Incidunt interdū occaſiones, ut citra rerꝝ tuarū detrimentum magnopere prodeſſe poſſis. Saltem hic uelim tibi in mentem uenire trilingue collegium. Qui hoc animo eſt, ut quantū poteſt, tantū & uelit omnibus benefacere, huic quodammodo præſtat officiū, qui uellicat aurē, admonēs ubi recte ualeat beneficiū collocari. Scis q̄ non ſoleam mihi petax eſſe, proinde quod ſtudiorum amor me facit flagitatorem, quæ tua eſt humanitas, pietati tribuet potius q̄ improbitati. Lapidor hic iſtorꝝ libellis. Iam ſeptem prouolarūt, longe plures expecto. Poſtremam Apologiam meam ad tuam celſitudinem mitto. Horū in me petulantiam oportet me boni conſulere, quū ea nec Cęſareæ parcat maieſtati. Me tamen non deficiet animus, ſi principum fauor me fulcire nō deſinet. Auide expectamus, ut dominus noſtri miſertus, per Cæſaris ac principum pietatem ac prudētiam, triſtiſſimam hanc rerum tempeſtatem, nobis uertat in tranquillitatem. Ramplitudinem tuam ſoſpitet ac proſperet dominus Ieſus. Datū apud Friburgum Briſgoiæ prid. Natalis uirginis, An. M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS FRANCISCO THESAVRARIO BESONTINO, S.

ALterum è famulis emandaram in Angliam, quem hoc impenſius expecto quod uehementer cupiam ſcire nū uerus ſit rumor hic iam non nouus, magnum illum Angliæ Cardinalem coniectum eſſe in carcerem, atq; etiam de capite periclitari. O rerum humanarū Euripum. Famulus abfuit iam mēſes tres, & expectatur in horas ſingulas. Ergo quum unus mihi tantū adeſſet, Diſſus pro ſua ſingulari humanitate ambijt hāc prouinciam, imo' propemodū extorſit: neq; ſemel me pœnituit delegationis cœlo tam incōmodo, id'q; perpetuo. Verum ille reuerſus omnem metum uertit in gaudium, re tam feliciter geſta. Etenim quum pararem illum

illum consolari, ille respondit alacriter, se sibi gratulari quod Besontionem adierit, quũ ob multa, tum ob hoc præcipue, quod talium uirorum notitiam atq; amicitiam esset nactus. Munus uestrum nõ alia cura peruexit, q; si uasa fuissent gemmis differta, nec multo plus impendit, q; auriga ille furcifer accepit pro uectura, qui uestram corruperat benignitatem. Semper amaui iuuenis indolem, sed hoc officio, uestra q; cõmendatione factus est mihi longe charior. Superest ut toties à uobis prouocatus cogitem de ratione qua possim hominis ingrati notã effugere. Brunus salutarat me carmine, ei respondi carmine Trochaico, sed dissimulãs esse carmen. Dissimulabis & tu, ut animi gratia tentemus an ipse non monitus sentiat esse carmen. Hispaniensium epistolarum exempla receperam, excepta una epistola Mercurini nunc Card. quæ tamen mihi fuit gratissima, erat enim amantissime scripta, & miror ubi illa hæserit. Breui scripsi in Italiam, nunc non est magnopere quod scribam. Et si quid esset hàc crebro commeant qui perferant. Pergratum tamen est quod offers tuum officium. Cæsar in Italia triumphat, Ferdinandus luget. Vix hęc ausus sum scribere languidus à febri ephemera. Aliàs lacessam te uoluminibus, si sensero non esse ingratum. Bene uale. Datum Friburgi Brisgoiæ IIII. Id. Decembr. M.D.XXIX.

DES. ERASMVS ROT. PETRO CASTELLANO S.

Videó sanè & gaudeo mi Castellane, te totum in hoc esse, ut dictionem expolias, id q; ad exemplar Budaici characteris, ad cuius æmulationem eruditi complures nunc sese conferunt: nec me pigeret operæ, si sperarem successum. Sed nõ minus uerum est q; uulgatum, perdifficile esse senis mutare linguã. Quod mihi subinde occinis comitatem, humanitatem, atq; etiam merita nescio quę in te mea, usq; adeò nihil horum agnosco, ut me mei pudeat quoties mecum reputo q; paruam habuerim, quum apud nos esses, tuæ dignitatis rationem. Sed ita est hominum ingenium, præsentem uirtutem, si non odimus, ut ait Flaccus, certe negligimus, sublatã ex oculis quærimus inuidi, aut si minus inuidi, certe incogitantes. Quo magis admiror singularem istius ingenij candorem, qui toties prædices humanitatem meam, cuius scythicam inhumanitatem merito posses incusare: neq; grauabor hanc culpam sarcire pro uiribus, si uel sese dederit occasio, uel tu submonueris quibus in rebus tibi possim cõmodare. Gaudeo tibi contigisse præsulem beneuolũ, magis gauisurus, si te mitra bicorni audiero insignitum: aut si te non capit hoc honoris genus, optarim tibi puellam affatim dotatam. Rursus si refugis capistrum, precor tibi fortunam Bayfij, cui, ut ipse suis literis significauit, contigit ocium cum dignitate. Tempori uigilandum censeo. Nimium enim uerum est, quod ait Flaccus, Eheu fugaces Petre silentio labuntur anni. Historiam triumphalem cupide expecto. Habes epistolam αὐτόγραφον, ut hic quoq; tecum paria faciam, nec ipsa κακογραφίᾳ ut arbitror te inferior. Sed heus, illud minimo minus me fugerat. Quã tu mihi narras analogiam ducentarum epistolarum ad unam? Vix arbitror ullam abs te epistolam huc uenisse cui non responderim, hac excepta postrema, in qua significabas te relinquere Lutetiam, nec certo designabas quò mitterem si quid responderem, nec mihi constabat quos haberes ibi amicos. Bene uale vij. Id. Februar. Anno M.D.xxxi. iuxta uestram supputationem.

ERASMVS ROTERODAMVS QVINTINO SVO S.

MOntanus suo functus est officio. Admonuit me tui, iussit q; tuis uerbis saluere. Sed quid hoc est rei? Nihil aliud me de te scire uoluisti, nisi quod cupis agnosci pro meo? Nec enim de studijs tuis, aut rerum tuarum statu uerbũ ullum. Iam quod petis, iam pridem à me factum est. Scripsi tibi, sed an scriptũ:

meum acceperis nescio. Qui possim autem te profiteri meum, quũ tu me tuarum re-
rum nihil scire uelis? Si uis amari, præsta te amabilem: & si uis ut agnoscam te meũ,
fac ut intelligam liquido me esse tuum. Non hęc scribo, quod siniſtri quicq̃ de te su-
spicer, sed ut ad officium excitem. Panicus iste tumultus, quem excitauit meus Cice-
ronianus facit, ut aliquanto minus q̃ soleo fidam Gallorum ingenijs. Bene vale.
Friburgi vij. Id. Martias. Anno à Christo nato M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS CONRADO EPISCOPO VVIRCENBVRGENSI S.

REuerende præsul & idem clarissime princeps, quũ mecum reputarem q̃
humaniter tua celsitudo mẽ non solum in tuorum clientium, aut quod tu
mauis, amicorum numerũ recepisset, uerumetiã tum literis amantissime
scriptis, tum insigni sui erga me fauoris monumento cohonestasset, nec ea daret oc-
casionem, qua possem uicissim eius animi significationẽ ædere, quem habere debet
gratus cliens erga patronũ optime meritum: quoniam in meo paupere mundo ni-
hil erat: contuli me in uiridaria scripturarum, ex his Psalmum ueluti flosculum odo-
ris gratissimi decerptũ ad te misi: hoc satius esse ducens, q̃ incomparabilem amicum
inani salutare epistola. Hæc æstas mihi prorsus fuit sterilis, nec hybernis mensibus
ausus sum quassas diutino morbo corpusculi uires iniquis onerare laboribus. Cæ-
terum si uel tu submonere dignaberis, uel ipsum tempus obtulerit occasionem de-
clarandæ erga te gratæ uoluntatis, declarabo nec studium, nec fidem mihi defuisse,
etiamsi cætera defuerint omnia. Dominus reuerendam tuam amplitudinem, eccle-
sięq̃ publicæ diu seruet incolumem. Apud Friburgum Brisgoiæ xvi. Calend.
April. Anno à Christo nato M.D.XXXI.

ERAS. ROT. NICOLAO HOLAHO MARIAE VNGA-RIAE REGINAE SECRETARIO S.

NOn mediocri mihi solatio est mi Nicolaë, quod hoc seculo, quod nobis un
diq̃ tot gignit hominum portenta, quo'q̃ fides, charitas & humanitas nõ
modo friget, uerũetiam prorsus extincta sepulta'q̃ uidetur, reperiunt ad-
huc aliquot ingenia syncera candida'q̃: unde spes est aliquando fore, ut aureum il-
lud genus mortalium ζωπυρήσθω. Aliquot amicos habui sic addictos iuratos'q̃, ut uel
uitæ suæ dispendio meis cõmodis consulturi uiderentur si res ita tulisset, quos nunc
patior hostes plusq̃ capitales, adeo'q̃ desierũt esse amici, ut homines etiã esse desie-
rint. Nulla pristinę cõsuetudinis, nulla meritorũ memoria, nulla fidei religio, nullus
humanitatis sensus reuocat illos à maleficijs. Quæ res ut mihi ueteres amicos qui in
fide perstiterunt, reddit chariores: ita nouos si qui obtingũt maiorem in modũ cõ-
mendat. Ipse simplici natus ingenio, delector candidis animis, qualẽ tibi esse tũ ex li-
teris tuis, tum ex Quirini mei narratione mihi uideor liquidò deprehendisse, ut tuis
munusculis, alioq̃ lepidissimis mihi'q̃ gratissimis nihil fuerit opus. Penitius impres-
sum est animo meo Holahi simulachrum, q̃ ut inde possit reuelli, aut aboleri: per q̃
grata tamen fuit ista tua superuacua solicitudo, quippe quã intelligo ab amoris abũ-
dantia proficisci. Hoc quoq̃ uoluptatis adferet mihi cocleare tuũ ac fuscinula, quod
hac certe ratione Nicolaum meũ habiturus sum conuiuam, ac subinde licebit amicu
lis dicere; Hic est ille meus Holahus, quando reliquã uitæ consuetudinem nobis in-
uidere fata. Libet autẽ utriusq̃ felicitati gratulari: tuæ, cui contigerit apud eam, qua
inter principes fœminas nulla est neq̃ humanior neq̃ moribus sanctioribus, hono
rificum tenere locum: meę, qui tam candidũ habeam amicum apud præpotentẽ do-
minam, cui magnopere uelim esse cõmendatus, cuius'q̃ in me fauorem optarim esse
perpetuum,

esse perpetuũ. Ad id quantũ habeat momenti beneuolus conuictor iampridẽ experimẽtis compertũ habeo. Et si non mentitur uetus Græcorũ prouerbiũ, Simile simili amicũ esse, nõ dubito quin illi pro morũ tuorũ synceritate, pro'q; ingenij candore sis egregie charus. Nec me fugit quantũ illa ualeat apud germanos suos Cęsarem Carolum & regem Ferdinandum. Quorũ fauor si me destituat, non uideo qui possim aduersus tot portenta subsistere. Hactenus certe præstiterunt, quicquid ab amantissimis principibus expectare debui. Superest ut gratiarũ auspicijs pulcherrimum hoc certamen inter nos decertemus, in quo, quo maiore contentione nitemur, hoc erit firmior amborũ amicitia. Sanctissimæ reginæ Mariæ precor felicitatem plurimã. Bene uale. Datũ apud Friburgum Brisgoiæ Non. Octob. Anno, M.D.XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS BERNARDO EPISCOPO ET CARDIN. TRIDENTINO, S.

QVando pares agam gratias tam inauditę humanitati tuę, Reuerendissime præsul, quæ toties me inuitat ad suæ familiæ contuberniũ? Quid aũt mihi potius ambiendũ, aut apud quem libentius uixerim, nisi talis esset ætas ac ualetudo, ut ad omnium conuictũ sim inutilis, ne uicturus quidem, nisi corpusculũ hoc mihi longa experientia cognitũ meo more temperarẽ? Olim eram ab aulica uita nonnihil abhorrens, uerũ ubi uideo & ipsos philosophari reges, & in principũ aulis studijs ac uirtuti suũ haberi honorem, haud quaq; me eius pigeret uitæ, quæ splendorem ac dignitatem habet cũ honesto coniunctam. Plato uero quũ hactenus existimet felices fore Resp. si aut reges philosophiam amplecterentur, aut qui philosophiam callerent, rerũpublicarũ gubernaculis admouerentur, non tam sentit disciplinarum cognitionem, q; mentem optimis decretis imbutam, sublimem, ac rebus humanis omnibus superiorem. Huius philosophiæ multo maxima pars est pietas Christiana. Cuius admirabile studium conspicimus in Carolo Cæsare, & rege Ferdinando, quæ res mihi non exiguam spem præbet fore, ut per illos deus hanc rerũ tempestatem uertat in tranquillitatem. Proinde Casparem Vrsinum multis nominibus felicem iudico, cui præter summas ingenij, doctrinæ, facundiæq; dotes, obtigit ætate florentissima, corporis ualetudine prosperrima, non sine dignitatis cõmendatione, cũ optimis monarchis habere commercium, à quibus quum plurimum accipiat ornamentorũ, illos uicissim à quibus ornatus est condecorare ualet. Aut enim me fallit animus, aut ille futurus est aliquando inter eruditione, facundia, libris'q; celebres præcipuus. Quanta ingenij promptitudo, q; emendata uel ex tempore dicentis oratio, credas illum de scripto dicere. Quàm felix stilus, q; uaria rerum cognitio. Tum quanta morum comitas, quæ præcipue decet aulicũ. Si talem conuictorem tuæ celsitudini præstare possem, ultro uidelicet aduolarem ad tam amicum patronum, multo uirtute q; fortuna splendidiorem. Nunc alijs saltem gratulari lubet. Mihi iam in extremo fabulæ actu uersanti, nihil magis curæ esse decet, q; ut dicam, ualete & plaudite, æquissimo animo discessurus è proscenio, si quod futurum speramus, Cæsaris pietas, uestra integritas, ac principum concordia hos ecclesię fluctus composuerint, & composuerint citra grauem humani sanguinis iacturam. Armis sępenumero deterrimi superiores sunt, nec magni ingenij est occidere: uerũ turbulentissimam tempestatem prudentibus consilijs ad quietem redigere, id demum facinus est summo principe dignũ. Non desperamus. Sub imperatoribus Christianis Arcadio & Theodosijs grauioribus dissidijs quatiebatur orbis, quum Arianis, Origenistis, Manicheis, Donatistis, Circumcellionibus, inquinata essent omnia, ac multis etiam in locis adhuc uiueret paganitas. Et tamen illorum principum consilijs, tanti rerum motus paulatim ad tranquillitatem compositi sunt, id'q; nulla graui hominum strage.

A' morbo ſenſim reualeſco, atq; interim lapidor Euangelicorũ libellis, ſex iam prouolarunt, nec erit finis. Hic adhuc hæreo præter animi propoſitũ, ſed ita iubent amici, utinam illorum ſit felix conſilium. Vix ſubſiſtam, ni me principum ſubleuet autoritas. R. amplitudinem tuam dominus proſperet in omnibus. Friburgi prid. Natalis Virginis, Anno M. D. XXX.

ERAS. ROT. CHRISTOPHORO CANCELLARIO POLONIAE S.

VIr clariſſime, Martinus Slapus iuuenis multis nominib⁹ mihi tam charus, meiq; tam amans, ut ſi filius eſſet, nec ille potuiſſet cumulatiorem erga me præſtare pietatem, nec ego plus officiorum ab illo requirere, huc reuerſus effecit, ut tuas literas minus deſiderarem, tam accurate mihi denarrauit tui erga me ſtudij conſtantiam. Vnde mihi liquet te nobis non uulgari more, ſed ex animo, certoq; iudicio bene uelle. Nam nec diuturnitatem quæ fucata ſunt ferunt, nec perpetui ſunt affectus qui nõ à iudicio proficiſcuntur. Nobis cum tenaciſſimo morbo totos quatuor menſes conflictandum fuit. Torminibus inteſtinorũ ſucceſſit apoſtema, ac penè enectum à medicis, crudelius etiam excarnificauit chirurgus. Sed gratia Chriſto, paulatim reualeſcimus, ſtudijſq; reddimur. Scio, meminiq; uir optime quid regiæ debeam benignitati, quid tuæ. Voluntas mea iam pridem in procinctu ſtat, opperiens ſi quid imperetis: ſi quid iudicabis à me præſtari poſſe, quod animo regio ſit non ingratum, beneficij loco fuerit, ſi admonueris. Expectamus hic iamdudum quid nobis pariat conſultatio principum. Cæſar ut eſt ſingulari religione præditus, uidetur omnia geſturus ex præſcripto pontificis. Res ſalua eſt, ſi nihil præſcribet pontifex, niſi quod Chriſto gratum eſt. Quod omnino futurum arbitror, ſi modo nos promerebimur. Dominus proſperet res tuas in omnibus uir ad publicã utilitatem nate. Datum apud Friburgum poſtrid. Calend. Septemb. M.D.XXX.

ERASMVS ROT. GVILHELMO QVINONO MANDATORI S.

GAudeo tuum de Montano iudicium cum meo conſentire, planeq; mihi perſuaſum habeo, te quicquid in illum contuleris beneficiorũ, apud optimæ fidei uirum depoſiturum. Porrò de prouehendis illius ſtudijs ut mea uoluntas cum tua conſentit, ita non eſt par ambobus facultas. Deniq; nõ recuſo tibi illius nomine ſponſor eſſe, nec metuo ſponſionis comitẽ Aten. Amicus ille noſter quibus furijs agatur neſcio, ſed exuiſſe uidetur omnem humanitatẽ. Leuem, ebriolum, nugonem eſſe ſciebam, tantum perfidiæ, tantumq; maliciæ nunquam ſuſpicatus ſum in eo latere. Quatuor libellos iam iaculatus eſt in caput meum ſuo nomine, duo prodierunt per alium autorem, ſed huius inſtinctu: nec uidetur unquam factu rus finem, donec impegerit in ſuum malum genium. In conſilio Cæſareo dicas Bonę deę tractari myſteria, adeò uix quiſquam nouit quid agatur. Si quid ſectis concedet Cæſar, clamabunt ſe uictores, nec uideo qui laturi ſint illorũ inſolentiam. Sin uicerit altera pars, quis feret monachorũ tyrannidem? Quod offers non ſolum domus uerumetiam facultatum omnium cõmunionem, agnoſco Pythagoricam amicitiam, qua utinam propius frui liceat. Bene uale. Datum apud Friburgum Briſgoiæ VI. die Septemb. Anno M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS ANDREAE CRITIAE EPISCOPO PLOCENSI S.

REuerende præſul, literas tuę celſitudinis unà cũ libello de Miſſa tuo, bona fide reddidit Martinus Slapus, optimis moribus iuuenis. Libellũ nec ſine fructu nec ſine uoluptate perlegi. Exiguo uolumine & multa cõplectitur,

pugnat

pugnat aduersus hæreticorum dogmata, explanat nobis precationem dominicam, declarat rationem Missæ, obiter cõmonstrans quæ inter sacrificandũ indecore geruntur. Placuit quod stilum ad simpliciũ mediocritatem nonnihil deieceris, malueris q; episcopum agere q; rhetorem. In Brabantia Franciscanus quidã pridem ædito uolumine docuit quid quæq; declarent, quæ illic à sacerdote geruntur. Hic duo libelli prodierũt, alter Guimundi, alter Algeri, uterq; asserens ueritatem sanguinis & corporis domini in Eucharistia, mea sententia non infeliciter. Idem typographus erat & tuum excusurus, ni metuisset, ne uestri typographi Francfordiã essent uenturi cum suis mercibus. Porrò quod idem Martinus anulum quoq; reddidit celsitudinis tuę munus, uereor ne ille immodico quodam mei studio dixerit aliquid, quod illi non mandaram. Mihi quidem symbolum fausti cuiusdã ominis usum est, & uel hoc nomine fuit gratissimũ, quod ad tui imitationem me prouocat. Anulus aureus gemmam habebat figura cordis, colore rutilo. Quid amplius optare possis homini Christiano, q; ut cor habeat sapientia illustre, charitate igneum? Adnitar ad exemplar pro mea quidem uirili: uel longo interuallo talem sequi cursorem est aliquid, si non datur assequi. Totam ferè hanc æstatem luctati sumus cũ molestissimo simul q; tenacissimo morbo. Mense Martio & Aprili flabant uẽtuli quidam mire blandi, sed quod ipsa re compertũ est, nocentissimi. Multis conciliarunt aduersam ualetudinẽ, quibus ægre licuit reualescere. Andreas Zebridouius ætatẽ habet, nec dubito quin illi constet sui consilij ratio, ac spero quod sequutus est feliciter cessurum. Nõ omnibus ingenijs omnia congruunt, alius alia uia peruenit ad sapientiam. Mihi certe cõuictus hominis erat gratissimus. Quanq; autem in iuuene gloriæ sitis nonnullũ est uitium, tamen arguit generosam indolem, minimè q; desperandam. Hic nisi me fallunt omnia, uidebimus cruentos tumultus. Exhibita sunt hæreticorũ dogmata, exhibita catholicorum responsio, Cæsar, qui uti sentio, rem omnem ex prescripto pontificis gerit, non patitur quicq; moueri in his quæ recepit ecclesia: pollicetur tamen se uitiorum correctionem adhibiturum utriusq; status primoribus, & iam nunc admonentur ciuitates, ut restituant quod episcopis ac sacerdotibus ademerunt. Erat omnino premenda quorundam leuium effrenis petulantia, nec arbitror rem male cessuram, si ut Cæsar pro sua religione fideliter exequitur quicquid pontifex iubet, ita pontifex nihil iubeat nisi quod est in rem ecclesiæ catholicæ. Crescit ubiq; cardinalium numerus, hoc an gratulari debeam ecclesiæ nescio. Veteres non absq; causa tanto studio Card. turbam conati sunt excludere. Satis erat fastus in domo dei, plus satis erat hominum deuorantiũ abbatias, episcopas & dignitates, etiã si hic tam numerosus nõ accessisset chorus. Olim cardinalis officij nomẽ erat, nunc est regni. Sed hac ratione suas res ut uidetur, cõmunit pontifex, & principes habent splendidos famulos ecclesiæ salarijs. Nos hinc adornabamus iter in Brabantiã, sed amici quidam ex aula Cæsaris monuerũt, ne quò mouerem pedem, ante perspectum concilij exitum. Scribunt adhuc superesse nonnullã pacis spem. Sed hyeme fugere si minus uetaret euangelium, hęc ualetudo non concedit. Vt Cæsar maxime uelit pacem, euangelici iamdudum uidentur ad bellum gestire, prouolant undiq; libelli ad Cæsarem, alios q; principes, dira minitantes illis, ni mature desinant persequi ueritatem euangelicam. Tenebriones nescio qui, Cæsarem pinxerant quidam ἑπταικέφαλον ignominiosa imagine, sed eam magistratus suppressit. In me non sobrie debacchantur, sex iam libellis emissis in caput meum: atq; hæc nihil aliud est quàm uelitatio, expecto longe atrociora. Hoc malum tolerabile est, quod habet adiunctum solatium: imperator, sed ab hæreseos damnatis: illud concoctu durius, quod ea pars quam tueor habet inimiciores hostes. Apud Hispanos furit insigniter Franciscanus quidã, arctæ religionis: huic simillimum alterum habet Brabantia, Thrasonica gloria iuuenem.

Albertus

Albertus Pius quondam Carporum princeps, qui nunc Galliæ regis benignitate fouetur, non contentus eo libro quem pridem in me ædidit, adornauit alterũ priore triplo maiorem: per cõductos aliquot curauit ex omnibus libris meis decerpenda, quæ uidentur affinia doctrinæ Luteranæ, aut quæ ad calumniam detorqueri posse uideantur. Alit domi suæ ut aiunt, Sepuluedam quendam Hispanum, cuius opera utitur ad dictionem poliendam. Miror quid isti homini ueniat in mẽtem, nisi quod suspicor illum hoc agere instinctu mitrati cuiusdam, cui fœderatissimus est. Magna inter molles cõcordia, inquit Satyricus. Franciscanis gracculis posthac ero mutus. Alberto fortasse respondebo. Cũ Sutoribus & Beddis induciæ sunt. Sunt apud Cęsarem theologi, quorum arbitrio magna ex parte res geritur, qui mihi non optime uolunt. Gattinarij mors mihi præcipuum amicum ademit. Pontificium nomen hactenus satis magno flagrauit odio, etiamsi nihil accederet. Nunc Florentia pertinaciter obsessa, & à Clemente, nisi uanus est rumor, parum clementer uexata, uix credas quantum addat inuidiæ. Si huc spectat, ut metuatur potius q̃ ametur, ut ui rem gerat, metuo ne malus sit futurus diuturnitatis custos metus. Huius inuidiæ nõnulla portio recidit in Cæsarem, qui ipse quidem si quid peccat, non peccat sæuitia, sed obedientia. Ab hoc extorsit pontifex ut liceret obsidere Florentiam, ab hoc impetrauit ut esset arcis Adriani dominus, nec dubitandum quin in illo arctissimo conuictu alia multa ab illo sit stipulat⁹. Sed spero rem habere rectius, q̃ uulgo iactat rumor. Equidem hinc interpretor deum populi sceleribus uehementer iratum esse, quod quũ duos habeamus fratres Carolum & Ferdinandum, pari religionis amore, pari clementia præditos, tamen sub his tot calamitatibus affligamur. Primũ apud Hispanos orta est seditio, cuius gratia & Ferdinandus in Brabantiam deductus est. Quũ tot profectionibus, inauguratione, pompis, matrimonijs, exactionibus esset exhausta regio nostra, accessit imperium, nomẽ magno quidem uenale, sed census exigui. Deinde quot annis misere uexata est Gallia? Quàm penè funditus perdita Italia? Nunc nisi deus auertat, supereſt, ut mutuis cædibus sese laniet Germania. Quid à Turca passa sit Hungaria & Austria notum est omnibus, quid passura sit incertum. Quid nunc commemorem furiosos agricolarum tumultus? Quid tot morborum ac pestium nomina, imò nouas & nondum nomẽ sortitas species? Quid rerum ad usum uitæ necessariarũ tantam uel inopiam uel charitatem? Quanq̃ haud scio an inter hæc mala primus locus debebatur hæreseon dissidijs. Tantum'ne malorum sub optimis principibus? Sed dabit deus his quoq̃ finem, si nos uitijs longum ualere iussis ad ipsius misericordiam cõfugerimus. R. celsitudini tuæ precor omnia fausta lætaq̃. Datum Friburgi Brisgoiæ Calend. Septemb. M.D.XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS IO. RINCKIO S.

SAlue plurimum, quãtum uiuit hominum candidissime. Etiamsi tam uile fuisset munusculum, q̃ illud tua facit modestia: tamen animus iste tam aureus ac gemmeus, et epistola nihil spirans nisi meros amores, poterat illud ita cõmendare, ut pro quamuis magno acciperetur. Nunc quum tale sit, ut uel à rege non indecore donari potuerit, tamen quæ tua modestia est, rogas ut boni consulam. Mihi potius rogandus eras, ut libellum ex tempore fusum ac uelut abortu eiectum boni consuleres. Sed hac in parte uideo mihi rem esse cum Hercule, quem in tuo poculo conspicio. Quàm enim ille uiribus & claua fuit inuictus, tam Rinckius officijs aut beneficijs superari non potest. Nec male quadrat in te aquilæ symbolũ, quod habet tuus clypeus. Nemo tam uelox esse queat ad bene merendum, quem tu non præuoles. Solus animus mutuus mihi sufficiebat. Epistola tã amica magni muneris loco esse poterat. At his non contenta tua benignitas, addidit poculũ, & opere

& precio

& precio nõ uulgare. Do manus Herculi, nec contendã ultra, niſi hoc ſolum, ne ui-
dear amando inferior. In principum cõuentu quid agat, hactenus ad nos amici per-
ſcripſerunt. Propoſita ſunt capita rerũ, primum ut Germani ferant ſuppetias aduer
ſus Turcarũ rabiem: deinde ut ſectarũ diſſidium tollatur, ſi fieri poſſit, abſq; ſangui-
ne: tertium ut eorũ qui ſe grauatos putant, habeat ratio. Ad hæc peragenda uix ſuf-
ficeret ſynodus οἰκουμενικὴ triẽnis. Quid ſit futurũ neſcio, niſi deus interueniat fabu-
læ, nullum uideo exitũ. Et niſi res fuerit acta ex conſenſu omniũ prouinciarũ, exi
tura eſt in ſeditionem. Quidã ſperant cum Luteranis rem poſſe tranſigi, quod & hi
petant moderata, & pontifex paratus ſit etiã magna concedere. Nã habet Auguſtæ
Card. Campegium hominem perhumanũ, qui bis ad me ſcripſit. Epiſcopus Augu-
ſtenſis cenſet æquũ, ut concordiæ cauſa quædã concedant, quo nomine apud quoſ-
dam dicit audire Luteranus, quũ nihil ſit illo uiro ſanctius integriusq;. Luterani ex
hibuerũt fidei ſuæ ſummã. Huic negocio præeſt Melanchthon, qui ſuis ad me literis
declarat ſeſe non omnino deſperare. De Zuinglianis primum Cæſar non ſuſtinuit
audire. Nunc aiunt impetratũ, ut illi quoq; fidei ſuę rationem exhibeant. Hac gratia
miſſus eſt Hedio: nam ut audio, Capito cõſtanter detrectauit eam prouinciã. Multi
me literis hortantur ut adſim concilio, Cæſar tamẽ nondum uocauit: & ſi uocet, ha-
beo excuſationem iuſtiorem q; uellem. Nam quũ quartum iam menſem ægrotem,
nondum poſſum cõualeſcere. Primũ ex uentis quibuſdã blandis, ſed peſtilẽtiſſimis
orta ſunt alui tormina, qualia nunq; expertus fueram, ea uomitũ extorſerũt, gracili
corpori, ut ſcribit Hippocrates, grauẽ. Ex uomitu ruina ſtomachi, cruciat⁹ & inedia
conciliarũt inſomniã. Neq; parũ moleſtiæ addiderunt medici. Torminibus ſucceſſit
apoſtema durum, quod aliquandiu porrectũ, dextrũ uentris latus occupauit. Mox
inſilijt in umbilicũ, hac ſpecie quaſi ſerpens os infixum habens umbilico, medio cor
pore intorto, cauda peteret pubem. Paulo poſt flexit ſe in latus læuũ, ut penè cinge-
ret umbilicũ. Stimuli cruciabiles, nec noctu nec interdiu dabãt quietem. Adhibitus
eſt chirurgus, ut hic ſunt, alicuius nominis. Is reclamãtibus omnibus nihil diſcernẽs
inter uomicam & apoſtema durũ, quod lenientibus ac frigidis reſoluendũ ac diſſi-
pandũ erat, uiolentis emplaſtris me tantũ nõ enecauit. Puto leuius cruciari qui agũt
in igni purgatorio. Exulcerauit mollia quædam, apoſtema tantũ coxit. Interim pol-
licebatur omnia magnifica. Rupto hulcere ferro, è molli effluxit ſanies: e duro per
quod ferrum egerat, nil niſi ſanguis. Ante triduũ dimiſi hominem curatus, at nõ ſa-
natus. Manet enim idem apoſtema, mitiore licet cruciatu. Reuocandi erant medici.
Quum uehemẽtiſſime affligerer morbo, famulus quem unicum habebam: nam al-
ter repetierat patriam: ſubito correptus eſt ſudore Britãnico. Hunc ad modũ domi-
nus dignatus eſt nos inuiſere. Animus iamdudũ geſtit hinc emigrare quopiam, op-
pidum eſt ſat elegans, ſed nõ perinde frequẽs, utpote ſubmotũ à flumine, ſtudijs ap-
tius, incredibilis omniũ rerum charitas, genus hominũ parũ hoſpitale, ut aiunt: nam
mihi hactenus nemo fuit admodũ moleſtus, At nusq; uideo tranquillum portũ. Du
randum eſt hic donec appareat quo uergat concilij exitus. Quidã diuinant futurũ,
ut in primis agatur de pecunijs exigendis, hæreſeon negociũ reijciatur in ſynodum
uniuerſalẽ, ſacerdotibus, epiſcopis, monachis, & abbatibus eiectis ac ſpoliatis dent
bona uerba. Opinor tibi iam conſpectos libellos, qui nuper aliquot in meum caput
prouolarunt. Qui mouet hoc organũ, tibi, ni fallor, notus eſt, antehac inter mihi iu-
ratiſſimos amicos coryphæus, uix ferebat à quoquã nominari Eraſmũ citra præfa-
tionem honoris, nunc hoſtem agit plus q; capitalem. Quis credidiſſet in illo ebriolo
latere tantum ueneni? Huiuſmodi permulta me uehemẽter alienant ab iſtorũ inſti-
tuto. Oderunt quicunq; diſſentiunt, & tamen negant eſſe liberum arbitriũ. Si deus
hondũ mihi gratiam illam impartijt, de qua ſeſe iactant, erat quur pro me dominum

interpellarent, non erat quur odio prosequerentur. Variant amicorũ sententiæ, alij censent ne legendas quidem istorum nænias, quibus hactenus subscribit animi mei sensus: rursus qui uersantur in cœtu principum, suadent ut acriter respondeã. Quid facturus sim nescio, certe quietẽ flagitãt, & hic animus, & hęc ætas, & hæc ualetudo. Habes epistolã languidam nimirũ a languido. Si dominus reddiderit uigorẽ, spero futurũ ut aliquando nos inuicem complectamur. Interim cura ut q̃ rectissime ualeas. Datum Friburgi prid. Natalis D. Margaretæ. Anno M.D.XXX.

ERASMVS ROT. GEORGIO SAXONIAE DVCI S.

SI quis recta uia secum reputet conditionem mortalium, ac sortem humanæ uitæ Georgi principum Christianorũ decus, non existimabit magnopere deplorandam mortem Bilibaldi Perckemeri, ut cui tantum felicitatis obtigerit in terris, quantum paucissimis hominũ obuenire solet. Nam si externa ista uocemus ad calculum, genere patricius erat, partus & alumnus Norembergæ, ciuitatis inter Germanicas cumprimis tum claræ, tum opulentę, re non modo lauta, uerumetiam opima, apud summos orbis monarchas, præcipue Maximilianum Cæsarem, tantum gratia simul & autoritate ualuit, ut uix cuiquam esset secũdus. Idem honoris obtinuit & apud Carolum Imperatorem, ipso etiam Maximiliano maiorem. Quorum utriq; non minus prudentem q̃ fidum consiliarium pręstitit. Quin & patriæ suæ belli domiq; magna multaq; pietatis documenta præbuit, pro ciuium incolumitate nullum unq̃ refugiens discrimen, uir ut rectissimi iudicij, ita liberi constantis q; animi, uel in pronunciando quod sentiebat, uel in exequẽdo quod instituerat. Nec infelix illi, nec sterile coniugium obtigit, reliquit em̃ ut audio, filiam hæredem. Vixit iustum ætatis modũ sexagenarius, ni fallor, aut eo maior. Nec deerant corporis dotes egregiæ, donec senectus quæ nihil nõ uitiat, podagram & calculum adduceret. Hoc igni uisum est deo purgare famulũ suum, ut esset aurũ undequaq; purũ ac probatũ. Nec tamen unq̃ corporis cruciatus tantum in eo ualuerunt, ut animum uel a consulendo Reipub. commodis, uel a prouehendis liberalibus studijs reuocarent. Calamo pensabat quod corpusculi uiribus erat diminutum. Raro quidem cõmeabat in senatum, sed domus illius ab optimis quibusq; uiris frequentata, senatus quidã erat, & scriptis latius plenius q; præstabat uel senatoris uel consiliarij munus, q̃ alij lingua pedibus q;. Quid enim ille scripsit, quod non uel ad Reip. disciplinam, uel ad studiorum profectum, uel ad pietatis causam pertinet? Quin & illud rarę cuiusdam felicitatis arbitror, q̃d nec fortunæ splendor, nec eruditionis gloria, nec animi libertas multũ illi conflauit inuidiæ. Extiterunt quidam, qui nomini illius nescio quid nebularũ conati sunt offundere, sed integritatis illi⁹ fulgur ac sol, ut ita loquar, protinus calumniantiũ fumos dispulit, resq; prorsus in diuersum cessit. Nam ipsi fumo suo sunt tincti, qui fumos offundebãt, & Bilibaldi uirtus effulsit clarior. Deniq; mors obtigit, qua uix optari possit cõmodior. Nihil enim erat neq; cõtagij, neq; magni cruciatus. Corpus modo languebat, animi uigor ad extremum usq; halitũ erat integer. Defecerat humor ille quem medici uocant radicalem: itaq; non tã emori, q̃ placide obdormiscere uisus est. Extremi sermones quos habuit cũ doctis amicis, nihil aliud spirabant, q̃ miram erga patriam pietatem, flagrantissimum Christianę religionis amorem, deq; publicis literarum studijs piam solicitudinem. Quum inuiseret illum decumbentem N. obnixe rogabat, ut q̃ posset ocyssime pararet aliquem bonæ fidei nuncium, qui Friburgũ transcurreret ad Zasium & Erasmum, quædam perlaturus. Sed dũ ille sedulo quærit qui peteret terrestre Friburgũ, ipse postridie subuolauit in cœlestem Hierosolymã. Suprema uox morientis, quę quidem audiri poterat, hęc erat; Vtinam post decessum meum bene sit patriæ, utinam tranquilla sit

ecclesia,

ecclesia. Nec dubitãdum quin reliqua uerba fuerint eiusdem pietatis, quæ mors linguam occupans obscurabat, nostris quidem auribus, at non item diuinis. Qui talis uiri mortem putant deplorandam, quid aliud q̃ lamentantur eum fuisse natum hominem? Iustius fortasse defleret aliquis publicam studiorũ iacturam, quod festina mors obstitit, quo minus ad plenum absoluerit duo præclara facinora quæ iamdudum moliebat̃, uidelicet ut Ptolemæi cosmographiam apud Græcos pariter ac Latinos deprauatam restitueret, & eximium illum Christianæ philosophię præconem Gregorium Nazianzenum, sic Latine loquentem nobis daret, ut Græci sermonis fontes nemo desideraturus fuerit. Sed quis fuit unq̃ uir eruditus aut pius, & publicis natus cõmodis, qui nõ istiusmodi de se querimonias posteritati reliquerit? Quũ enim tales nunq̃ non moliantur aliquid præclari facinoris, atq; id impensius, quo magis accedunt ad extremum æui diem, fieri non potest quin mors quandocunq̃ acciderit, egregium aliquod institutum interrumpat: quum q̃ nunq̃ ipsi finem faciant benemerendi de genere humano, profecto necesse est ut prius uitam finiant q̃ instituta. Non hæc eò mihi dicuntur clarissime princeps, quasi parum expolita sint quæ nobis reliquit, sed quod lector forte tanti artificis supremam manum alicubi sit desideraturus. In Gregorio Nazianzeno pietas prope modum ex æquo certat cum facundia. Sed amat significantes argutias, quas eò difficilius est Latine reddere, q̃d pleræq; sunt in uerbis sitę. Tota uero phrasis nonnihil accedit ad structuram Isocraticam. Adde quod de rebus diuinis quæ uix ullis uerbis humanis explicari possunt, libenter ac frequenter philosophatur. Frater huius Basilius suaui quodam & inaffectato dictionis fluxu, & pietatem, & eruditionem, & acumen si cubi res postulat, & perspicuitatem, & iucunditatem, & si quam aliam uirtutem in oratore Christiano quisquam desiderare possit, complectitur. Ioannes Chrysostomus Basilij quemadmodum in literis, sic etiam in professione syncerioris uitæ socius, atq; ut ita loquar, Achates, quicquid fere scripsit, ad popularem captum accommodauit, eò q̃ fusior est ac simplicior, & in locis cõmunibus spatiari maluit, q̃ in difficilimis uersari quæstionibus. Hos tri umuiros una tulit ætas apud Græcos, pietate pares, nec dispares eruditione, sed dictionis charactere dissimiles: quos si cum nostris conferre uelis, Chrysostomus non dissimilis est Augustino, Gregorius Ambrosio, qui si Græce scripsisset, plurimum negocij fuisset exhibiturus interpreti. Quem Basilio cõferam nondum inuenio, nisi si quis scripturarũ cognitionem quam habuit Hieronymus, cum Lactantij felici facilitate copulet. Me certe à uertendo Gregorio semper deterruit dictionis argutia, & rerum sublimitas, & allusiones subobscuræ. Eam prouinciam eximio quodam pietatis ardore sibi sumpsit Bilibaldus noster, cui & immortuus est. Hoc opus tibi princeps illustrissime, quo uix alius pietatis amantior, uiuus destinarat, quod tua singularis humanitas eo propensiore etiam fauore suscipiet, q̃d moriens extremum hoc μνημόσυνον sui reliquit. Solent enim seri partus uel ob id esse gratiores quod prętera nihil sperat̃ur. Proinde quum hunc ueluti posthumum fœtum, tua singulari fretus humanitate tibi moriens in gremium dari uoluit, non dubitamus quin hic quoq; sis tui similis futurus. Eadem autem opera quũ amici memoriam illustrabis, tum omnibus ad pietatẽ non mediocre calcar addideris, si Bilibaldi reliquias tuo fauore studiosis omnibus commendabis. Porrò quibus pietas cordi est, non offendentur, quod priscos ecclesiæ doctores sequutus, non abhorret interdum à uerbis quibusdam nostræ religionis peculiaribus, quod q̃ mauult interdum Christiane loqui, q̃ Romane: quanquam non uideo, quamobrem illa non debeant haberi pro Romanis, quę ante annos mille quingentos à Romanis scriptoribus necessario sunt usurpata, nec id sine Græcorum exemplo. Vale. Ex inclyta academia Friburgensi. Id. Maij. Anno M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. AVGVSTINO EVGVBINO CANONICO REG. SANCTI AVGVSTINI, ORDINIS S. SALVATORIS. S.

IT animum iſtum, & fortunam gratulor Auguſtine doctiſſime, non tibi modo, ſed & ſacrarum literarū ſtudioſis, quos oportet omnes, ſi grati eſſe uolunt, bene precari manibus incomparabilis uiri Dominici Grymani, qui pulcherrimum hoc propoſitum & animo concepit, & conſtanter perfecit, ut bibliothecam optimis quibuſq; libris diuerſarum linguarum inſtructam, non mediocribus impendijs pararit, ſuiq; monumentum reliquerit, qui non uideo, quo ſpecioſiore titulo memoriam ſuæ gentis poſteritati ualuerit commendare. Quum agerem Romæ, ſemel atq; iterum ab illo ad colloquium inuitatus, idq;, ni fallor, per Petrum Bembum, ut tum abhorrebam à cultu magnatum, tandem illius Palatium adij, pudore magis q̄ ex animo. Nec in area, nec in ueſtibulo ulla hominis muſca apparebat. Erat tum tempus pomeridianum. Equum tradidi famulo, & aſcendi ſolus, uenio ad primum atrium, neminem uideo: ad ſecundum, ac tertium, tantundem, nullum oſtium occluſum repperi, mecum demirans ſolitudinem: ad extremum uenio, illic unum tantum reperio, Græculum ut opinor medicum, tonſo capite, cuſtodem oſtij patentis. Rogo quid ageret Card. Ait intus cū aliquot generoſis confabulari: quū nihil adderem, rogat quid uellem. Salutare inquam, ſi commodum eſſet, nunc quia non uacat, aliàs reuiſam. Dum abiturus, pauliſper per feneſtram loci ſitū proſpicio, redit ad me Græcus, percontans num quid uelim renunciari Card. Nihil inquam opus interpellare illius colloquium, ſed breui rediturus ſum. Tandem ſciſcitanti nomen, ædo. Eo audito, me non ſentiente ſe proripuit intrò, mox q̄ egreſſus, iubet ne quò abeam, ac protinus accerſor. Venientem excipit non ut cardinalis, & talis cardinalis extremæ ſortis homunculum, ſed ut collegam. Poſita eſt ſella, colloquuti ſumus plus q̄ duas horas, nec interim licuit manum admouere pileo. Prodigioſam in tanto rerum faſtigio comitatem. Inter plurima quę de ſtudijs eruditiſſime diſſeruit, ſatis indicans iam tum ſibi fuiſſe in animo, quod nunc de bibliotheca factū accipio, incipit hortari me ne Romam ingeniorum altricem relinquerem. Inuitat ad domus ſuæ contuberniū & fortunarum omnium communionem, illud addens, cœlum Romanū ut humidum & calidum meo corpuſculo conuenire, præcipueq; eam urbis partem in qua palatium habebat, olim à pontifice quodam extructū, qui locum eum ut omnium ſaluberrimū delegiſſet. Poſt multos ſermones ultro citroq; habitos, accerſit nepotem ſuum iam tum archiepiſcopū, adoleſcentem diuina quadam indole præditum. Conantem aſſurgere uetuit, Decet, inquiens, diſcipulum coram præceptore ſtare. Tandem oſtendit bibliothecam πολυγλωττότατον. Quem uirum ſi mihi contigiſſet temporius noſſe, nunquam urbem eram relicturus, quam longe ſupra meritum meū repperi fauentem. Sed iam abire ſtatueram, eo q̄res proceſſerat, ut mihi uix integrum eſſet ibi manere. Quum dixiſſem me accitum ab Angliæ rege, deſiit urgere, tamen hoc iterum atque iterum orauit, ne ſuſpicarer ea quæ promitteret, non ex animo proficiſci, neue ipſum ex uulgarium aulicorum moribus æſtimarem. Aegre me dimiſit à colloquio, ſed quum abire geſtientem diutius remorari nollet, illud extremis uerbis à me ſtipulatus eſt, ut ipſum adhuc ſemel inuiſerem, priuſquam urbe excederem. Non redij infelix, ne hominis facundia uictus, mutarem ſententiam. Nunquam mihi mens æque fuit læua. Sed quid agas, quum urgent fata? Eam felicitatem quæ mihi tum offerebatur, tibi nunc domi eſt, inuidere tibi non poſſum: ſed mihi iuſtius iraſcerer, meq; ipſum oderim, qui oblatam recuſarim: uerum hoc me conſolatur, quod tua induſtria uideo futurum, ut iſtius diuini theſauri, nos quoque reddamur conſortes. Nam adnotationes tuas in Pentateu-

chium

Pentateuchum percurri uerius ꝙ perlegi, in quibus & alia multa preclara nobis pol liceris. In his quæ prodierunt, mihi plurima uehementer arrident; sunt tamen per paúca, de quibus te admoneri nõ minus nostra ꝙ tua refert, uidelicet ut posthac tuæ lucubrationes in manus omnium ueniant elimatiores, & omnino tales, ut aut nihil, aut ꝙ minimum inueniant Momi quod calumnientur. Hoc tibi mi Augustine cum primis persuadeas uelim, me non alia mente monitoris partes susci pere. Nam & in dustriam tuam exosculor, & gloriæ ex animo faueo. Hæc æditio prima scatet prodi giosis mendis, præsertim in latinis, ex quo úides ꝙ non tutum sit typographorum operis fidere. Si tibi non est integrum adesse, præstaret hoc muneris alicui delegare, qui bona fide uicem obire tuam & posset & uellet. Interdum optarem te diligentio rem esse in probando, ꝙ es in asseuerando fortis, præsertim quũ reiicis aliorum opi nionem. Videris autem in quosdam stomachosior, quasi priuato quodam affectu sis eis infensior, uelut Nicolaum Lyranum, & Paulum episcopum Sempronianum, quorum uterq; est nostræ inferioris Germaniæ: non quod phas non sit ab illis dis sentire, sed quod stomachi significatio tibi nõnihil abrogat fidei. Dissentis & à Reu chlino, sed ciuiliter cum laudis præfatione. Arbitror autem Paulum nulla in re Reu chlino inferiorem acumine ingenij, & Mathematicarum disciplinarum cognitiõe superiorem. Cuius tamen nomen nusquam quod sciam citas, nisi cũ reprehensiõe. Eum non audiendum existimas, quod sentiat hanc æditionem non esse totam Hie ronymi, hoc uno fretus argumento, quod singuli libri præfationes habent Hiero nymi. Hæc ratio si solida est, orationes Aeschinis ac Demosthenis fatebimur à Cice rone uersas, quod in eas præfatur Cicero: sed aliquo casu perijt illius translatio, præ fatio ob utilitatem aliquam seruata est. Extat in Iob gemina præfatio, quũ utraq; nõ competat in eandẽ uersionem. Probabilius est ecclesiasticos proceres, quũ iam ferè recepta esset æditio Hieronymi, mutasse quædam ab illo uersa, & ex uetere transla tione, aut ex Septuaginta restituisse nonnulla: ita factũ est, ut hæc æditio temperata nobis remanserit, ex autoritate ecclesiæ. Verũ hoc exempli duntaxat gratia protuli, non ut tecũ super hac re contendam. Interdũ odiosius attingis Auerroistas, ut uidea ris in totũ damnare philosophiã Aristotelicam. Nam qui sic addicti sunt Aristoteli, ut negligant diuinos libros, aut Christi dogmata ad Aristotelis gnomonem exigãt, merito reprehendendi sunt. Si Basilius, Chrysostomus, Hieronymus & Augusti nus absq; philosophiæ cognitione uenissent ad tractanda scripturarũ mysteria, ob secro quid egissent? Profiteris te scripturũ aduersus philosophiam Platonicã, quod si Platonicam pariter atq; Aristotelicam damnes, nullam nobis relinquis. Non me fugit rectum esse quod sentis, sed expediebat hoc quod sentis eiusmodi uerbis ex pressisse, ut hinc tibi ꝙ minimum conflaretur inuidiæ, quo tua scripta maiore cũ fru ctu legantur. Nunc primum opinor prosiliisti in hoc theatrum, nouus actor. Perma gni aũt refert ad omnes fabulæ partes, ꝙ auspicato primam eius scenam saltaris. Hac excetra nulla bestia nocentior aut peruicacior. Facio nunc quod solent hi qui infe liciter nauigarunt, quum alios uela pandentes admonent, quæ in mari uitanda sint pericula. Simile quid aggressis dulciter aspirat undiq; aura fauentium applauden tium q; : uerum ubi se uentus in diuersum uerterit, tum destituti hærent in uado. Vi deris multa tumultuaria lectione deuorasse, ea si iusto temporis spacio concoxeris, exibunt multo gratiora, ꝙ si eadem iuuenili calore effutiueris. Etiam atq; etiam mihi rogandus es Augustine doctissime, ut hæc eo animo accipias, quo à me dicuntur: quę ut frustra moneam, tamen amor etiam tuta timens, non poterit non esse gratus. Quid quod non tantum & ad tui nominis existimationem, & ad publicorum stu diorum utilitatem pertinet, ut tua elaborata cum omni plausu ueniant in manus ho minum, uerumetiam ad Grymanicæ memoriæ, istius q; bibliothecæ sempiternum

decus, non leue momentum habet. Nam non ita magni refert, quid de me priuatim sentias. Videris enim aliquot locis, nescio quid stomachi præ te ferre, etiamsi mihi nondum liquet an illa in me torseris. Veluti primo statim Geneseos capite, quũ tractas etymologiam nominis Adam, taxas citra nomenclaturam quosdam, qui quod Augustinus in Hebraica dictione, Græcam significationem exponit, quasi α notet ἀνατολήν, δ, δύσιν, α, ἄρκτον. μ, μεσημβρίαν, appellarũt frigidam expositionem. Hoc à me notatum fateor in euangelium Ioannis capite secundo: sed illic frigidę expositionis nullam inuenio mentionem, atq; adeo ne uocem quidem ullam minus reuerentem. Fateor hoc cõmentum ab alijs proditum, sed demiror illud tam graui uiro tantopere placuisse, ut sæpius putarit cõmemorandum: quũ addo tam graui uiro, præfatione laudis mitigo dissensionem. Nec tu uideris probare, quod improbo, tantum admiraris quur non eadem opera sit taxatus Cyprianus, qui hoc ante Augustinum literis prodiderit. Fortassis in prima æditione locum eum in Cypriano nõ legeram, aut certe non memineram. In posterioribus æditionibus reperio hæc uerba: quod quidem & ante adnotauit diuus Cyprianus, sed homo fuit uterq;. Si probas quod dissentio, dissentiendi modestiam, ut opinor, nõ desideras. Sed admones Cyprianũ etiam illud addere, quod Augustin⁹ tacuit, eam terrã unde factus est Adam, e' quatuor mundi cardinibus fuisse dei pugno cõprehensam. Verũ poteras & illud addere, qd' friuolũ commentũ coactæ scripturæ testimonio probare nititur, palma mensus est cœlũ, & pugno cõprehendit terrã. Quis unq; eum Esaiæ locum ad istũ interpretatus est modũ, ut sileam quod ut suo cõmento locum faceret uitiauit scripturã, pro, de limo terræ, citans ex omni limo terræ. Prætereo quod pro quatuor mũdi plagis ponit quatuor mũdi stellas. Vt arctos sit stella, quũ potius sit sydus, quis unq; dixit orientem, occidẽtem, aut meridiem esse stellam? Sunt in eo libello, cui titulus de montibus Syna & Sion, præter dictionis figurã alia multa quæ nõ resipiunt pectus Cypriani, unde nõ temere à nobis numeratus est inter ea quæ illi uiro falso ascribuntur. Hęc igitur si nec tu probas, ut opinor, quid Augustino patrocinetur illius autoritas? Quin arbitror ista ne Augustino quidẽ placuisse, e' quibus particulã modo uerecundiorẽ decerptã dedit auribus populi. Nunc paulisper mecũ uelim consideres argumẽta tua, quibus refellere conaris eos quibus hoc cõmentũ uidetur frigidũ. Si hæc, inquis, frigida sunt, quur eodẽ modo nõ frigent omnia, quę à Platone in Cratilo scripta sunt? Quur & Varronis etymologiæ nõ frigebunt? qui etiam nominibus Græcis etymon Latinũ accõmodat. In qua re maxime reprehenditur à Seruio Donatus, qd' is Leneum Bacchum dici putat à leniendo animo. Obtestor prudentiã tuam Augustine, an simile quippiam usq; tradidit uel in Cratilo Plato, uel in etymologijs Varro, ut singulas literas per singulas dictiones interpretemur? Quis unq; ueterum Grammaticorũ tam ociose nugatus est? Aut quis nõ rideret studiũ quorundã recẽtiorũ, quos hęc plusq; inepta cura delectauit, ut dictiones aliquot literatim interpretentur? Velut, deus dans æternã uitam suis, & ad huiusmodi somnia sacrarũ literarũ testimonia accõmodent? Vidimus olim singulis literis interdũ fuisse designatas singulas dictiones, ut S.P.Q.R. Senatus populus'q; Romanus. Et P.M. Plus minus. Et pp. pater patriæ, de quibus nõnihil prodidit Probus. Sed nemo tã ineptus nugator fuit, ut pater exponeret, pascens amanter teneros ære recte. Aut mater, mammã accõmodans teneris eiulantibus roscidã. Vides quantũ interfit inter etymologiã & hoc interpretãdi genus, qd' improbauit? Sed uide quantũ tibi donem. Finge nõnihil interesse, nõ protinus frigebunt omnes etymologiæ, si una atq; altera friget. Eadem ratione colliges, si Festus Pompeius unicam dictionẽ perperam exposuit, alias omnes perperã fuisse interpretatum: & si quis unum scripturæ locũ non recte enarrauit, in omnibus errasse. Hanc ratiocinationẽ si ridiculam & impudẽtem esse fateris,

eadem

eadem opera de tua pronũciasti. Quæ hoc etiam absurdior est, quod non solũ transilit à proloquio singulari ad uniuersale, uerũetiam quod à specie ad speciem, perinde quasi colligas, Hic piscis est malus, nulli igitur sunt boni equi. Etenim quum etymologia commonstret originem uocis, commentũ de Adam nihil minus est q̃ etymologia: sed propius accedit ad monstrosas uoces Basilidis, Abraxas, Leusiboras, & Donatus, ut ais, à Seruio reprehensus est, quod Leneum Græcę originis uocem, uenit enim à λῆνός leneus, à Latina deduxerit. Sed utrum recte notatus est à Seruio Donatus, an secus? Dices opinor recte. Bene ergo Seruius adduxit etymologiam? annues. Non igitur statim frigent omnia, si friget una. Quis unq̃ Dialecticus ab individuo collegit speciem, nisi per inductionem simul omnia commemores. Modestus scribit Cœlibes dictos quasi cęlites, quod Saturnus Cęlo amputauerit genitalia. Atqui pariunt & cœlibes. Hęc si friget etymologia, non statim & illud frigidum est, coniuges dici à societate iugi: & si friget, quod L. Aelius dixit pituitam ab eo dictam quod petat uitam, non protinus friget nasum dictum, quasi νῆσον, id est, insulam in facie prominentem. Si merito reiicitur quod Varro prodidit agrũ esse dictũ quod illic agat aliquid, nõ ideo reiiciendũ quod scribit Fabius à Græca uoce deductum. Si falsum est graculos dici quod gregatim uolant, uerũ tamẽ est eam dictionẽ ab auiũ uoce effictam esse. Si frigidũ est, orationem dici quasi oris rationem: & testamentum, quasi testationẽ mentis: nõ ideo falsum est orationem esse nomen à uerbo oro, sicut est lectio à lego: & testamentum à testor, sicut est monumentũ à moneo. Sunt dictiones, quarũ origo aut prorsus ignoratur aut ambigua est, nõ tamen ideo nulla est certa etymologia. Opinor te iamdudum perspicere uir præclare, q̃ hæc tibi hactenus parũ attente parum q̃ cõcinne dicta sint. Sed multo minus cohæret, quod subijcis, Mira est igitur inquis, horum hominũ impudentia, qui pluris unã Ciceronis uoculã facerent, q̃ quicquid diuini illi homines dixerunt, quorũ ut est maxima sanctitas et eruditio, ita maxime à uanissimorũ hominum latratibus tuta. Hic sermo quoniã in me nõ hæret, suspicor & illa superiora in alios esse torta: proin hic nõ tam meam causam ago q̃ tuã. Quanq̃ non arbitror inter Christianos quenq̃ inueniri, qui pluris faciat unã Ciceronis uoculam, q̃ uniuersa quæ scripsit Cyprianus & Augustinus, præter theologiæ cognitionem, etiam eloquentia non uulgari pollentes. Quod si quis quum de Romani sermonis eloquentia disceptatur, plus tribuat M. Tullio q̃ Cypriano & Augustino, puto nec ipsos si uiuerẽt id ęgre laturos, sed ęquissimis animis cessuros autoritati Ciceronis hac duntaxat in parte. Vbi sunt igitur illi homines insigniter impudẽtes, ubi uanissimorũ hominũ latratus? Quid ista scribẽs cogitaris, diuinare nõ queo, certe non uidentur nasci ex his quę hactenus cõmemorasti: nisi forte flagitiũ inexpiabile iudicas in re tam leui dissentire ab Augustino, quũ ipse in hoc opere & ab Hieronymo & a' Septuaginta, & ab alijs multis in re multo grauiori dissentias. Sed his nõ contentus pergis, Hos certe inquis, nunq̃ satis demirari potuimus, qui si uel minimã labeculam apud sanctissimos illos uiros repererint miras excitãt tragędias, clamãt, uociferantur, ingemiscũt errorẽ, lachrymas se nõ posse cõtinere protestantur. Dicũt eos in alio uersari mundo, id' q̃ nõ alia gratia fit ab eis, q̃ut summis uiris detrahendo, gloriolã quandã, cuius auidissimos eos esse eorũ scripta proclamãt, adipiscantur ad posteritatẽ. Vbi igitur modestia illa Christiana, quã in alijs tantopere desiderãt, ipsi omniũ egentissimi? Hoccine est prodesse posteritati, & non magis obesse? Equidẽ mi Augustine charissime, nõ inficior fieri posse, ut apud Italos sint in quos ista merito destomacheris: sed qui uiderit in tuo sermone qui præcessit, nihil esse stomacho dignum, mirabitur unde repente in has tragicas uoces incanduerit animus tuus. Nam qui sobrij sani q̃ sunt, prius indignitatẽ rei ponũt ob oculos, q̃ clament, o' cœlum, o' terra, o' maria Neptuni. Omitto nũc quod tã fortiter

iudicas de mente aliena, quasi quisquis à sanctis uiris dissentit, nihil aliud q̃ gloriam aucupetur. Nolis opinor alios simili cãdore de tuo pectore iudicare, quoties in hoc opere à sanctissimis pariter ac doctissimis uiris libere dissentis, nonnunq̃ & impacto colapho. Sed pergis indulgere stomacho efferuescenti. Quæ igitur, inquis, est hæc tam inaudita, tam insolita barbaries, ubi hoc hominũ genus ortum eductum'q̃ est? Num apud Christianos, an non magis ad Hyrcanas syluas, & scopulos Caucaseos? Vtri efferatiores, ipsi an Tibareni, ac Derbices, qui patres mactabant, e' scopulis'q̃ precipitabant? At ipsi omnes ordines, omnem sexum & ætatem deformarunt, crudeliter lacerarunt, immanissime dilaniarunt. Hoc' ne est esse Christianũ, an non magis plus q̃ Turcam ac Sarracenum? Hanc plusq̃ tragicam uerborum atrocitatem, dabis ueniam mi Augustine uerum fatenti, uix sine risu legere potui, nisi quod interdum suspicabar te quum hæc scriberes, animum intentũ habuisse ad Saxonem illum, huius ecclesiasticæ tempestatis autorem. Nam is interdum fortiter negligit sanctorum autoritatem. Sed aliunde natus erat hic sermo, nempe ab his, quibus q̃ refert Augustinus de literis quatuor in Adam, uidetur frigidum cõmentum, & ab hac occasione tam frigida stilus tuus incaluit usque ad Derbices & Tibarenos, aut si quod animal his immanius. Si Christianus non est qui dissentit à sanctis uiris, Paulus dissensit à Petro, & a' Barnaba, quorum alteri restitit in faciem, in alterum iritatus fuit παροξυσμῷ. Nam eo uerbo Lucas est usus. Dissensit ab Ambrosio & Cypriano Hieronymus: eidem cum Augustino fuit non frigida uelitatio. Et quis est prisco rum, a' quo non multis in locis dissentiant recentiores Theologi? Nullus igitur eorum censebitur dignus Christiani titulo? Sunt insperſa quædam, in quibus uideri possis iratus Moriæ nostræ, quum ea nullum damnet ordinem, sed hominum uitia taxet, nec tamen omnia, sed ea duntaxat quæ quisq̃ nisi sit morosior, possit æquo animo aut etiam cum risu audire. Interdum mihi uideris, ista scribens, nunc in hunc, nunc in illum tendere oculos, nec semper ad eundem scopum dirigere sagittas. At qui quemadmodum magis erat ingenuũ aperire in quem tam atrociter stomacharere, q̃ incerta uaga'q̃ suspicione multos perstringere: ita sanius erat, orationem sibi constare certo'q̃ ordine fluere, non temere ferri. Subĩcis hęc, Vsi sunt fateor, etiã sanctissimi uiri reprehensionibus, etiam apostoli, etiam Christus. At quanta cum modestia, quanta cum lenitate prophanos & deo aduersantes castigabant. Quàm humane Origenes reprehendit Celsum, Basilius Eunomium, ac reliqui. Hæc adeo non uidentur in me dicta, ut è meis libris sumpta uideantur mutuo. Atq̃ in his rursum nõ perinde damnas si quid reprehendatur in sacris doctoribus, q̃ in reprehensione desideras modestiam. Verum an non satis modeste dissentit, qui dicit se mirari hoc cõmentum grauissimo uiro placuisse? Nam hinc fluxit omnis hęc stomachatio. Atq̃ hæc erat illa labecula, ob quam dicebas tam atroces excitari tragœdias? Vnde suspicor alium quempiam fuisse qui locum illum contumeliosius notarit, in quem ista torseris. Pergis, At hi Christianos ipsos, diuos ipsos, quãta cum ignominia, quibus sannis, quibus scommatis, carpunt, allatrant, subsannãt. Hæc tua sunt Eugubine. Omitto nunc dicere, q̃ leniter Christus & apostoli tractent ethnicos, quibus denunciant æternum uæ, quos'que nonnunquam suis depingunt coloribus. Paulus magis destomachatur in uitia Christianorum, quàm exterorum, id' q̃ testatur se iure facere. Quid, inquit, mea refert de his qui foris sunt iudicare? Et diuus Hieronymus, non 'ne acerbius inuehitur in malos monachos, clericos & uirgines, quàm in ethnicos aut Iudæos? Quod autem de diuis meministi, bifariam potest accipi. Incertum enim utrum stomacheris in illos qui reprehendũt aliquid in scriptis eorum quos nunc ecclesia pro diuis colit, an in eos qui simpliciter damnant diuorum cultum & iuuocationem. Vtrumcunq̃ horum sentias, non arbitror in me competere.

Quæ

Quæ addis de ignominia, ſannis, ſcommatis & allatratu: fateor diuorum memoriæ nonnullam deberi reuerentiam, ſed nõ eouſq;, ut nefas ſit uel in moribus, uel in ſcriptis eorum quicq; reprehendere. Nunc quidem illi non peccant, ſed quum in terris agerent, & errabant & fallebantur & delinquebant. Quo'q; celebrior eſt illorũ memoria, hoc magis expedit notare, ſi quid perperam fecerunt aut docuerũt, ne nominis illorũ autoritas ſimplicium animos inducat in errorem, qui ſibi perſuaſerũt ſanctum eſſe quicquid à ſanctis uel dictũ uel geſtum fuerit. Imo' exiſtimo hoc officium ipſis diuis eſſe gratius, q; ſi quis accendat cereolũ. Cultum diuorũ nusq; damno, ſed quorũdam hac in re ſuperſtitionem interdum taxo, nec id immerito. Hic ſi quid eſt ſannarum aut ſcommatum, ea non in diuos recidunt, ſed in cultores ſuperſtitioſos. Rurſus quæ ſubijcis, nec in Saxonem illũ nec in me, ſed in Italos neſcio quos detorta uidẽtur. Ais enim, pudet profecto quoties in eorum ſcripta incidimus, in quibus nullum Chriſtianæ pietatis apparet ueſtigium, ſed omnia ethnicis oſtentationibus, uirulentijs plus q; Iudaicis ſcatent, omnia uano ſtrepitu, uaniſſimis iactationibus reſonant. Hęc tua ſunt. Certe in libris eorum mi Auguſtine qui nũc hęreſeos nomine celebres ſunt, religioſe prædicatur Chriſti maieſtas, plurimum tribuitur fidei & charitati, conſtanter affirmatur reſurrectio mortuorũ, ſacroſancta habetur ſcripturarũ autoritas. Hæc opinor haud obſcura ſunt Chriſtianæ pietatis ueſtigia. Quod ſi legiſti meas Paraphraſes, cõmentarios in aliquot pſalmos, methodum theologiæ, libellum de orando, de miſericordia dei, alios q; huius generis, nõ dices opinor, illic nullum eſſe Chriſtianæ pietatis ueſtigium. Vnde mihi perſuadeo, iſtic eſſe in quos iſta competant, quorũ ſcripta nondũ ad nos peruenerunt. Itaq; quũ horum nihil in me competat, arbitror & ea quę ſequuntur in alios dici. Et quod inquis, miſerius eſt, cũ ætate creſcit delirium, ac tunc inueniuntur deterſores, quando & diuina minitante Nemeſi, & toto orbe terrarũ in eos uociferante, debuerant reſipiſcere. Aetatis conuicium fortaſſis ſuſpicabitur aliquis in me iaci, qui me ſenem eſſe nõ inficior, licet ab decrepita ni fallor ætate aliquãto ſpatio abſim, ut qui nondum peruenerim ad annũ ſeptuageſimũ. Nam imbecillitas corpuſculi nõ eſt ætatis, ſed naturæ, tale fuit etiã iuueni, qualia ferè ſunt affixorũ libris. De delirio nihil iudico: nam qui maxime delirant, ſibi maxime ſani uidentur, ut qui maxime temulenti ſunt, ſibi uidẽtur mire ſobrij: ſit igitur hoc aliorum iudicium. Quod ſi delirant omnes ſenes, maxime deliraba t diuus Hieronymus, qui maior annis octoginta aut nonaginta, ut quibuſdã placet, plurima ſcripſit, ea'q; multo abſolutiora ijs quę ſcripſit florẽti ætate. Quod idem arbitrat' pleriſq; doctis uiris accidiſſe, qui uicina morte cygneum quiddã dulcius ce cinerunt. Plinius tradit e' uitibus uetuſtioribus naſci uinũ melius, e' recẽtioribus copioſius. Quin & ipſa uina mitiora fiunt ætate. Sunt tamẽ in his quæ ætatẽ non ferũt, & nimia uetuſtas generoſis etiã uinis uigorem & gratiã adimit. Certe ad eam ætatẽ nondum perueni, nec unq; ut arbitror peruẽturus ſum. Fortaſſis ingeniũ meum ad ea uini genera pertinet, quæ uapeſcunt eodẽ quo nata ſunt anno. Mihi quod ad animi uigorem attinet, non uideor habere multa de quibus incuſem ætatẽ: ſed ſenes ſi delirant, cũ uenia delirant: in iuuenibus aũt turpiſſima eſt deliratio. Qua tu ſis ætate mihi nõ liquet, niſi quod ſtilus exultans, & in ſenectã conuiciũ arguunt te etiamnũ ἀκμάζειν. Quo magis tibi adnitendũ eſt, ne quid extet in ſcriptis tuis mi Auguſtine, q^d deliration is ſpeciẽ præ ſe ferat. Id fiet, ſi ſibi undiq; cohæreat cõſtet'q; ſermo, ſi ſobrio tenore fluat, ſi nusq; ſecũ pugnet, ſi ubiq; ſibi præſentẽ animũ referat. Quod de Nemeſi ſcribis, de'q; uociferante mundo, fortaſſe torques in hæreticos, à quorũ conſortio me conſtantiſſime abſtinui, imo' cũ quibus magno capitis mei diſcrimine iam dudum cominus eminus'q; depugno. Quanq; nõ deſunt qui in me uociferent: ſed paucis inauſpicatis oppono tot principũ, tot epiſcoporum, tot eruditorũ hominum

iudicia,

iudicia, qui meos labores & amplis muneribus ornant, & honorificentiſſimis teſtimonijs cõprobant, & mihi gratias agunt quod ex libris meis uerę pietatis ſeminaria hauſerunt. Hæc igitur mihi non eò dicunt, ut mihi patrociner, ſed ut homini literatiſſimo nunc primum in theatrũ prodeũti conſulam, quo fabulã optimi cuiuſq; applauſu peragat, & uel noſtro malo ſit cautior. Supereſt epilogus tuus, neſcio q̃ apte hærens ſuperioribus. Nos inquis, & ſanctitatẽ & eruditionem ſummorũ uirorum ſemper admirabimur. Num protinus cõtemnit pietatem & eruditionẽ Auguſtini, cui quicq̃ in illius uiri ſcriptis non probatur. Iamdudũ uides iſtud in tuum recidere caput, qui in hoc opere toties diſſentis à ſanctiſſimis uiris. Probas eruditionẽ cum pietate coniunctam. Ita'ne ſtatim impius eſt qui diſſentit à pijs uiris? Abſit. Sed fac illum diſſentire contumelioſius, improbitas ea dici poteſt, impietas non poteſt. Nec illa quid ſibi uelint ſatis intelligo, quũ ais: Non eſt igitur quod de eruditione gloriemur, in qua ſiue æquemus, ſiue ſuperem⁹ illos diuinos uiros, ſanctitate certè ſumus adeò inferiores, ut ſine lachrymis referri non poſſit. Hic admiſces perſonã tuã: nam abſit ut iſta cogitatio unq̃ inciderit in mentẽ meam, ut mihi uidear ęquare aut etiam ſuperare doctrina uel Auguſtinũ uel Hieronymũ. Nec ſtatim æquat, qui deprehendit in alieno libro, quod autorem fefellit, tantũ abeſt ut ſuperet. Tandẽ inquis, incidimus in flagitioſiſſimas oſtentationes. Hæc tua deſtomachatio tam atrox, tam uehemens, tam uaria, diſpeream ſi diuinare poſſum quos petat. Et tamẽ tota res exordiũ habuit ab Adam, quatuor mundi plagas deſignante. Sed bene habet quod hæc ſcribuntur à iuuene, ne audiat delirus, quanq̃ interdũ delirant & iuuenes. Hũc ſtomachum ſi in me effudiſti, ęquitatẽ in te deſidero: ſi in hęreſeon autores, demiror totius ſermonis corpus tam male cohęrere cũ capite: ſi in omnes quorum ſcripta putas impia & flagitioſa, nõ diſſimile facis, ac ſi quis eodem iure uelit omnes perfundere, aut ſi ſtrabo multis præſentibus dicat acerba conuicia, omnibus incertis quid in quẽ dicatur. Si quis ad iſtum modũ deſtomachetur, permiſcens omne probrorum genus, quorũ aliud in alios cadere uideretur, non'ne quiſquis audiret, diceret, quid huic accidit? Quanto magis curandum eſt, ne quid tale dicatur in ſcriptum orbi proditũ, in quo requiritur ſobrietas & ſanitas, per ocium in literas mittentis cogitationes ſuas. Vno tantũ in loco me nominas, & contemptim & diſſentiens, nec tamen indicas locum: niſi qd ſuſpicor te notare, quod mea Paraphraſis in Lucę caput. xiiij. ita loquit̃ de Chriſto. Apud Annã & Caiapham Iudæi per falſos teſtes intenderunt illi crimen blaſphemiæ, quo nõ aliud eſt atrocius. Deſignatũ eſt hoc in Ioſeph, quẽ fratres inuidia coniurati, detulerunt de crimine peſſimo. Miror inquis, Eraſmũ, quur in multis æditionem Septuaginta, noſtrę prętulerit, quũ aperte & Hebraica ueritas refragetur, & ipſi Græci interpretes. Quàm id multis in locis faciã nunc non excutio. Certe hoc loco quod uerterunt interpretes Septuaginta, rectius quadrat ad typũ Chriſti qui uenit aduocatus, non delator, nec accuſator fratrũ, ſed accuſatus ac dãnatus eſt à Iudæis. Quod ſi uoces Hebręæ nõ ſunt ancipites, credendum eſt aliud legiſſe Septuaginta q̃ nos habemus. Quid aũt mirum ſi cubi ſequor æditionẽ Septuaginta, quum idem aliquot locis faciant apoſtoli & euangeliſtæ? Poſtremo quũ ipſe nõ raro damnes quod uertit Hieronymus, & præferas Septuaginta translationẽ? Quod ſi mihi nõ concedis aliud legiſſe Septuaginta, q̃ legerit Hieronymus, quid ſibi uolunt illa uerba tua in Geneſeos cap. xiiij. Miror ipſe hanc uarietatẽ, ea'q̃ res facit ut ſuſpicer, pleraq̃ alia tota biblia immutata eſſe. Si Hieronymiana æditio dãnat uerſionẽ Septuaginta, quur ipſe diuus Hieron. frequẽter & illud enarrat qd illi uerterunt? Rurſus citra nominis mei mentionẽ attingis me cap. xlvi. Hęc eſt ergo inquis, eius nodi ſolutio, quẽ dicunt Hieronymũ ligaſſe, ac non ſoluiſſe. Lapſum iſtum tuũ Auguſtine, nec miror nec inſector, qui frequẽter accidit in his argumẽtis quę lectione uaria tumultuaria'q̃

tumultuaria'q; tractantur. Erroris ansam præbuit typographorum incuria. Quum enim annotationum opus per schedas excuderetur, é duabus quæstionibus altera prætermissa est, uidelicet de septuaginta animabus. Id arguit quod titulus non congruit annotationi sequenti. Sic enim habet, In septuaginta quinq; animabus descendit Iacob, quum annotatio sequens tractet eum locum, Quod emit Abraham precio argenti, à filijs Emor filij Sichem. Sed utcunq; fallebat titulus, ipsa annotatio satis declarat, in quem locum competeret. Ea negat nodum de empto sepulchro fuisse solutum, nec simpliciter negat fuisse solutum, sed in libro ad Pammachium de optimo genere interpretandi negat fuisse solutum. Sic enim habent mea. Hunc nodum illic nectit Hieronymus, nec eum dissoluit. Nam eleganter eum dissoluit in quæstionibus Hebraicis. Verum hoc leuiculum est. Interdum stilum odiosius stringis mea sententia, q̃p par est, in Germanos, ueluti Deuteronomij cap. vi. quum is locus non porrigat ansam incandescendi. Neq; enim inquis, hoc dicimus, quorundã Germanorum imitati procacitatẽ, qui sibi omnibus & dijs & hominibus, & humanis & diuinis rebus, maledicendi licentiam usurparũt. Ita tu quidem. Fieri potest, ut in Germania sint qui nõ temperent à blasphemijs in deum, sed iñ hos horrendis supplicijs animaduertitur. At ego Romæ his auribus audiui quosdam abominandis blasphemijs debacchantes in Christum & in illius apostolos, id'q; multis mecũ audientibus, et quidẽ impune. Ibidem multos noui qui cõmemorabant se dicta horrenda audisse à quibusdam sacerdotibus aulæ pontificiæ ministris, id'q; in ipsa Missa tam clare, ut ea uox ad multorũ aures peruenerit. Sed opinor te loqui de libris eorũ qui nunc noua tuentur dogmata. Quorundam ex his maledicentiam inficiari non possum, quũ eam ipse tot amarulentis illorum libellis confossus, plus satis expertus sim. Cęterũ in deum illic nihil reperio conuiciorũ, tametsi quos tu deorũ nomine signes addubito. Arbitror enim te nobiscum unicũ profiteri deum. Sed utinam hoc crimen solis Germanis obijci possit, latius patet q̃p uellemus. Similia quędam stomacharis in eiusdem operis cap. xi. per occasionem Dathan & Abiron, in giganteam immanitatẽ, quorum uesanię iam nec cœlum sufficit. Quid est istud ultra cœlum? An illud caput, qd̃ tu simpliciter & absolute summum uocas? & addis pronomen ἔμφατικόν illud. Si de Christo loqueris, pie dicis: si de Pontifice, non tu quidẽ impie, sed magnificentius q̃ pro re, atq; adeo' impie quoq;, si tuus sermo nãcisca tur iniquũ interpretem. Hæc mi Augustine nõ ob aliud moneo, nisi ut diligentior sis ad reuincendũ q̃p ad conuician dum, mitius'q; tangas totius gentis nomen, quæ utcunq; nunc tumultuatur, nunq; tamen in uera Christi religione cessit uestræ Italiæ, si rem æstimes ab annis octingentis. Hoc pacto fiet, ut & uberius prosis ecclesiæ, & tibi minus confles inuidię. Cuiuis in promptu est, obijcere Derbices & Tibarenos, Cyclopas & gigantes, sed eruditis uiris dignius, & gregi Christiano utilius est, solidis rationibus & scripturarũ testimonijs & docere errãtes, & reuincere pertinaces. Quod ni fiat, quiuis auriga possit cõuicijs in quemuis detonare. In Numerorum cap. v. destomacharis in Saxonẽ, qd̃ neget confessionẽ sacramentalem institutã à deo, generose quidẽ asseuerans esse à deo institutam. Sed quũ in eo quod asseueras, tot insignes theologi desudarint, nec inter se concordent, tuæ eruditionis erat solidis scripturis & argumentis instruere nos aduersus homines linguacissimos: nec satis erat eos appellare impudẽtissimos, qui non erubuerunt negare hoc esse primum à deo repertum, ac declamare locum communem de hæreticis scripturam ad sua dogmata detorquentibus. Quæ ut merito abs te dicta sunt, minimũ tamẽ conferunt ad refellendos aduersarios: sed erant distinguenda confessionis genera, & quod nunc exigitur efficacibus argumentis erat probandum. Quis enim negat exigi pœnitẽtiam mentis? Hanc habet quisquis apud deum agnoscit errorem suũ. Rursum nullus inficiatur, reconciliationem esse

iuris &

iuris & naturæ & diuini. Quisquis autem redit in gratiã, agnoscit peccatũ suum: ita qui publica satisfactione recipiebantur in ecclesiæ consortiũ, confitebantur ipsa re, etiam si non proferrent ore sua delicta. Veluti quisquis uenit ad baptismũ, hoc ipso quod uenit, cõfitetur se habere quod egeat ablutione. Sed quid hoc ad nostrã hanc confessionem? At Numerorũ v. Moses præcipit ut sacerdoti Iudæi confiteant pec-cata sua. Verum ea lex loqui uidetur de peccatis per humanã incuriam aut insciti-am commissis, qualia multa solent hominibus accidere, etiã minime malis. Sic enim ha-bent uerba legis, Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent homi nibus accidere, & per negligẽtiam transgressi fuerint mandatum domini, atq; deli-querint, confitebũtur peccatũ suum. An inter hæc numeranda putas, parricidia, in-cestus, blasphemias in deum, & sacrilegia, quæ solent hominibus per negligentiam accidere? Iam & tu fateris legem præcipue loqui de furto. Quia mox subijcitur, red-dant ipsum caput, quintam'q; partem desuper ei, in quem peccauerint. Multi porrõ sunt homines, qui per errorem aut humanam incuriam detinuerũt aliena. Hunc er-rorem expiabat confessio, & capitis restitutio cum accessione aliqua, & aries immo-latus. Nam plagiarius Exodi xxi. capite plectitur. Et eiusdem uoluminis cap. xxij. Abigeus pro boue uno reddit quinq;, pro oue una quatuor. Suffossorem noctur-num licebat impune occidere. Si bos repertus fuerat apud abigeum uiuus, duplum reddebat. Quod si urges nos literis, simul exige cum confessione sacrificium arietis. Rursum si nos præcepti uerbis stringis, simul exiges à nobis ut sacerdoti cõfiteamur & quamlibet leuia delicta, quæ solent hominibus per negligentiam accidere, quod non exigit ecclesia. Postremo quũ Iudęorum ditio late patuerit & plericq; etiam Ro-mæ & in Asia minore habitarẽt, nec sacrificare fas fuerit, nisi Hierosolymis, qui fieri potuit, ut omnes omnia peccata confiterentur sacerdoti in templo suis fungenti ui-cibus: & quæ turba fuisset arietum, si singuli pro singulis delictis obtulissent uicti-mam? Hos scrupulos uir optime oportuerat discutere: nec satis erat dicere, Si quis recte considerare uoluerit, inueniet primum omnium peccatorũ confessionem esse positam. Non quod ipse probationibus ullis egeam, sed armasses nos aduersus eos quibuscum nobis cõmunis est conflictatio. Inibi simile quiddam attingis de princi-patu Romani pontificis, quũ ea quæstio multos habeat sinus, quos utinam diligen-tius excussisses, aut omnino tacuisses: ne dũ quod fortiter asseueras, dilute probas, risui sis improbioribus, & eos in ipsorũ opinione confirmes. Hæc teste Christo non te monerem, nisi te pure diligerem, tuis'q; sanctissimis laboribus ex animo fauerem. Nam mihi persuadeo te Christiano in me esse animo, aut si quid animũ tuum exul-cerarunt malæ linguæ, ea res non tantum habet apud me momenti, ut ullam amaru lentiam in te concipiam. Reuertor ad huius disputationis caput, quod me petere ui-debatur pleriscq;, quasi parum honoris habuerim Augustino, quod in re nullius mo menti ab eo dissensi non solũ modeste, uerũetiam cum temperamento laudis. Quid si notassem in eius libris sentẽtias, quas nunc Theologi iudicant hæreticas? Eas opi-nor non diceres labeculas, Nec æquum esset te hoc in alijs tam atrociter reprehen-dere, quod ipse tibi permittis. In caput Geneseos secundum ita loqueris, Quapro-pter fabulas esse arbitror, quæ iste paradisus cõminisci homines fecit, nisi Adã pec-casset, fore, ut in eo paradiso iugiter homines habitassent. Nam etiam si Adam non peccasset, habitata tamen ista terra fuisset ita ut nũc fit, & homines uel mortales fuis-sent ut nunc, uel congruo tempore in cœlum fuissent assumpti. In hac sententia quũ fatearis grauissimos sanctissimos'q; uiros fuisse, tamen non uereris appellare fabu-las. Et in his sanctissimis uiris est Augustinus, quem à me dolebas tam leuiter atta-ctum in re nihili. Sed inibi retractas, si quę dicis sunt impia. Atqui si dubitabas, quid opus erat appellare fabulas? Rursus in Genesim cap. x. dissentiens ab Augustino,

qui putat

qui putat per errorem a' nobis legi coram domino, quũ legendũ sit, contra dominũ, nulla prætatione honoris libere reijcis illius sententiã, his uerbis: Ipse potius propter linguę hebraicę imperitiam lapsus est. Interdũ erumpis in laudes Hieronymi, sed nõ citra suggillationẽ ecclesiæ, quam alicubi scribis in erroribus tantis fuisse futurã, nisi uir ille diuinos libros uertisset ex Hebræorũ fontibus. Primũ illud durum est piorũ auribus, ecclesiã teneri errore, præsertim in sacris literis, licet errẽt homines pleriq;. Sed eundẽ bene laudatũ subinde reprehendis, quum interdũ possis culpam in libra rios conferre. Iã si pleraq; sunt immutata, ut suspicaris, in Hebræorũ codicibus quos sequutus est Hieronymus, unde nobis constat hanc æditionẽ esse syncериorem? Siquidem Exod. xxiij. notas Hieronymũ, qui perperam uerterit, ostende mihi faciem tuã, pro eo quod erat, ostende mihi uiam tuã. Et addis eum locũ peius etiam uersum à Septuaginta, ostende mihi teipsum. Sed unde liquet hoc quod tu reperisti in Hebræo codice, uerius esse q̃ quod legerunt Hieronymus & Septuaginta, præsertim quũ hic nullum cites autorẽ, neq; Hebræum neq; Græcũ? Verũ à Septuaginta non modo frequenter, uerũetiam parũ reuerenter interdũ dissentis: id quũ facis, nonne palam reijcis opinionẽ Cypriani, Hilarij, Augustini, ne Græcos cõmemorem, qui crediderũt Septuaginta diuini spiritus afflatu nobis eã prodidisse uersionem? qđ interdũ profitet & Hieronymus. Vides in q̃ ardua re non uereris à tantis uiris libere dissentire? & tam atrociter stomacharis in eũ, qui non probauit commentũ de Adã, quod arbitror nec ipsum Augustinũ probasse serio. Exodi cap. xxxiiij. reprehendis Hieronymũ qui perperã uerterit, ignorabat Moses q̃ cornuta esset facies eius, pro eo quod erat, radians erat facies eius. Atq; hic adeo' non lenis reprehensionẽ, ut non multũ absis à conuicio, quũ addis, mirũ q̃ Hieronymus non cõsiderarit ueritatẽ Hebraicam, nõ animaduerterit etiã quid Septuaginta transtulissent, qui bene hũc locũ uerterunt. Ac subijcis: Rident itaq; nos & execrant̃ Iudæi, quoties Mosen in nostris templis cornuta facie depictũ aspiciunt, quasi nos eũ diabolum quendã, ut ipsi stulte interpretant̃, esse putemus. Atqui istis Iudæorũ sannis locũ fecit ille toties abs te laudatus Hieronymus, cuius errorẽ hoc quoq; nomine facis insigniorem, q̃ prior æditio latina habuerit glorificatã faciem, non cornutã. Non improbo tuã annotationẽ: nam & Paulus disputans de Mose & Christo, glorificationis & claritatis uerbo utit̃, de cornibus non meminit: tantũ illud admoneo nõ fuisse causam, quur sic incandesceres per occasionẽ Adam secus interpretati. Leuitici cap. iij. libere dãnas quod Hieronymus uerterit pabulũ ignis, quũ uertere debuerit, panis sacrificij. Eiusdem libri cap. v. cõmonstras has voces, aut per se mortuũ, additũ ab Hieronymo, quũ eum locum Septuaginta pulcherrime uerterint. Et Erasmũ miraris qui interdum præferat Septuaginta translationẽ Hebraicæ ueritati. Nec tamen ulla defensione, aut erroris extenuatiõe subleuas Hieronymũ. Eiusdẽ libri cap. xi. de Chœrogryllo libere & ab Hieronymo & à Septuaginta dissentis. Eiusdem libri cap. xiiij. indicas quiddã additũ ab Hieronymo, uidelicet hæc uerba de passeribus, quos uesci licitũ est. At quũ probabile sit hoc Hieronymũ reperisse in codice Hebræo, aut à docto quopiã adiectum, qui uoluerit interpretari quare Moses addiderit uiuos, q̃ morticino uesci nõ liceret: tu tamẽ Hieronymũ oneras, dicens, Additum ab ipso interprete: quod certe miror. Non em̃ opus erat ea cautione. Rursus eiusdẽ operis ca. xxi. Si paruo uł grandi uel obtorto naso. Hęc omnia inquis genera ab ipso interprete ficta sunt, quũ neq; in contextu Hebraico, neq; apud septuaginta habeant̃. Item cap. xxv. notas, Et frugum superabundantiam non exiges, falso ab Hieronymo fuisse redditũ, quum eum locũ clarissime reddiderint Septuaginta. Vides ut libere dissentis, nec honoris prefatione, neq; ullo patrocinio uirũ sanctissimum toties abs te prædicatũ subleuas. Rursus cap. xxvij. super his uerbis: Spopõderit deo animã; Nõ erat inquis ita uertendũ.

Nam uotum & alterius generis esse poterat. Quàm hic nullus honos habetur incõparabili uiro? In Numerorum cap. xvi. scribis capitis principiũ omissum ab Hieronymo, & diuisus est Chore. poterat hoc librarijs imputari. Eiusdem libri cap. xvij. super hæc uerba, Absq; uirga Aaron, scribis ab Hieronymo omissum quod erat maxime necessarium, & substitutum quod partim erat superuacaneum partim falsum. Vbi hic reuerentia? Rursum cap. xviij. Omne quod ex uoto, dicis Hebraicæ uocis proprietatẽ melius expressam à Septuaginta q̃ ab Hieronymo. Pręterea cap. xxiiij. Homo cuius obturatus est oculus, ais Hieronymũ uertisse diuersum, uidelicet obturatum pro apertum, & miraris quamobrem nõ sit sequutus Septuaginta. Sed hic utcunq; patrocinaris Hieronymo culpam reijciens in librarios, qui omiserint negatiuam particulam, quod lemma quum sit frigidum, habet tamen aliquid ciuilitatis. Verũ alibi poteras illi probabiliore colore patrocinari. Ad hæc Deuteronomij cap. xxviij. super hæc, Illuuiarum secundarũ, ita sine honoris præfatione loqueris, Quare longe à ueritate nostra declinat æditio. At hãc æditionem in solidũ uindicas Hieronymo, ut hic nõ possis uti criminis translatione: proin quãto satius erat fateri hãc æditionem ab alijs aliquot locis immutatã, quod ut erat ciuilius erga Hieronymũ, ita uero propius est. Siquidem æditio Psalmorum ex Hebraica ueritate nõ habetur eadem in omnibus codicibus. Alicubi scribis illum omisisse quædam, quod fugeret iterationem, quum antea fuissent cõmemorata. At quis hoc iuris permisit scripturarum interpreti, ut addat, adimat q; quod uidetur? Si semper omittẽdum esset quod in sacris uoluminibus bis dicitur, q; multa forẽt amputanda? Iam mihi uide quotrationibus poteras sanctissimum uirum excusare. Exemplar quod sequutus est Hieronymus, secus habebat q; codices Septuaginta. Hoc immutatum est à sciolis, hoc adiectum est à studioso quopiã, hoc uerbis diuersum, re idem est: hoc tametsi diuersum est, tamẽ pium habet sensum. E' multis pauca exempli causa decerpsi: quũ enim illa percurrerẽ, nõ ista quærebam. Sed in his quoties libere, ne dicam acerbe, dissentis à tanto uiro, cuius opera prædicas ecclesiam à tot erroribus liberatam? At qualis ille liberator est, qui toties ipse labens ecclesiã induxit in errorem? Quàm uero non religiosus interpres, qui in sacris uoluminibus, quorũ autor est diuinus ille spiritus, sibi permittit addere præter necessitatẽ, & adimere quod à spiritu sancto positũ est? Postremo quoties in his quę cõmemorauí, uersionem Septuaginta præfers Hieronymianæ? Et miraris quod ego alicubi maluerim sequi Septuaginta, q; nostrã æditionem? Hæc uir in domino charissime non admonerem, nisi uehementer amarem insignia dei in te dona, tuas q; lucubrationes eiusmodi cuperem exire, ut & lectoriq̃ plurimum utilitatis, & tibi q; minimum inuidiæ conciliarent. Quod si me simili modestia admonere dignaberis, plurimam à me inibis gratiam. Nam hoc suadet Christiana charitas, ut uicissim alij aliorũ onera portemus, mutuis q; operis nos inuicem subleuemus. Dominus tuas pias lucubrationes prosperare dignetur. Datum apud Friburgum vi. Calend. April. Anno M. D. XXXI.

ERAS. GEOR. COMMERSTADIO SAX. DVC. A CONS. S.

VEtus Græcorum prouerbiũ est uir ornatissime, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεσθαι τὸ ἐρᾶν, quo significabant mutuo cõspectu inter homines amorẽ ac beneuolentiã solere gigni. Proinde merito quis admirari posset, unde inter nos extiterit amor mutuus, quũ neuter opinor, sit alteri de facie notus, nisi perspicatiores oculos haberet animus q̃ corpora, eo q; conspectu multo puriores constantiores q; gignerentur amicitiæ, q; corporum conuictu. Istius candidissimi simul & eruditissimi pectoris simulachrũ suo penicillo depinxit, nõ minus fide spectatus, q; arte præstans, Christophorus à Carleuuitz, et ad me per eundẽ q̃uenerũt officia tua nõ uulgaria, quæ par

quæ par est hoc pluris à me fieri, q̄ ultrò nō lacessita uenerint. Porrò nō amare uirū tot eximijs ornatū dotibus, illorū est, qui nec uirtutem nec eruditionē inter res suspiciendas numerant: non redamare aūt bene meritum, adeò non est grati ingenij, ut nec hominis sit, uix etiam in ferarū genus cadens, quippe quę beneficijs hoim nō modo cicurant & manuescūt, uerū etiā gratiā reponunt, si quando dat occasio. Quanq̄ autē una ex parte studiū tuum mihi Thrasonis illius prodigiosa malicia ne dicam an stultitia, cessit in detrimentū, non arbitror tamē gratæ mentis esse, beneficiū ex euentu potius æstimare q̄ ex uoluntate præstantis. Pro accepto par est haberi, quicqd aliquis syncero affectu largiri uoluit. Quare uelim ut posthac Erasmū in tuo ęre numeres, cui nihil futurū est gratius, q̄ dari occasionem, qua uicissim declaret, utcūq; deest facultas, referendi tamen officij uoluntatem accinctam & alacrem non deesse. Inter præcipuas felicitates meas numero q̄ illustrissimus princeps Georgius Erasmū dignat̄ inter suos clientes ponere. Quur em̄ non magno mihi ornamento esse ducam ab heroë laudatissimo laudari? Satis aūt laudatur quē ille suo fauore atq; etiam amicitia dignū iudicat. Cuius erga me fauorem ac beneuolētiam quęso, ut qd̄ facere soles, pergas tēpestiuis & amicis sermonibus, quoties se dederit opportunitas, tū alere, tū augere, apud quē ut audio pro tuis egregijs uirtutibus, & gratia & autoritate uales plurimū. Sit hæc epistola fœderis gratiarū felicibus auspicijs inter nos icti syngrapha. Bene uale. Datū apud Friburgum Brisgoiæ. vij. die Iunij, M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS VRSINO VELIO S.

VAcat audire nouarū rerū aliquid? Accipe: Quanq̄ inter ἀδύνατα numerari scio senis mutare linguam, tamen ego meditor mutare stilum. Ac primū applicui memet ad exemplar structuræ Budaicæ: legi pleraſq; illius epistolas feliciter elaboratas, annisus sum sedulo, sed conatus successu caruit. Nūc in effingendo Cicerone sum totus. Dices, quid accidit? Huc extimularunt me triū huius ætatis in dicendo felicissimorū epistolæ, Iacobi Sadoleti, Petri Bembi, & Iulij Pflug, quorū postremū nuper amicū habere cœpi, ex re mala magnum nactus bonū. Phrasis horum ita consentit, ut dicas à teneris unguiculis eodem in ludo doctos & educatos. Deū immortalem qui candor orationis, q̄ felix facilitas, quanta sensuū sanitas, q̄ omnia cohærent, amnis'q; lympidissimi in morem inoffense labuntur, nulla salebra, nullo uortice lectorē remorante. Tales Ciceronianos toto pectore possum amare, utinam & assequi liceat. Sed arbitror consultius, ut sexagenarius ab his comitijs abstineam, ne per iuuētutem tumultuantem fiam depontanus. Principi tuo meo q̄ gratulor splendidissimi nominis accessionem, REX ROMANORVM, utinā & census respondeat. Laudo tuā in remp. pietatem, quam uides tot cladibus ac pestilentijs uehementer imminutam, eo'q; iacturam hanc pro tua uirili sarcire niteris ἐκ ἄνευ θήσεως, hoc est, auxiliante pro sua muliebri portione, noua nupta. Nōnulla spes est, inducias inter Christianos monarchas & inter Turcarū imperatorem coituras. Italia quieta est, cum Gallia nobis est arctissima necessitudo. Negocium Britannicū multis cōiecturis auguror breui citra tumultū compositū iri. Hispania μαλακίζεται. Si Germaniam ab armis tranquillam habere licebit, spes est aurei seculi. Vale. Id. Martijs Friburgi Brisgoiæ Anno à Christo nato, M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. IOANNI VLATTENO S.

QVod rarius ad te scribo, in causa est, q̄ tu ueluti panagæa Diana per oēs regiones uolitans, interdum apud superos, interdum apud inferos agis. Sum autē occupatior, q̄ ut vacet in scribendis epistolis operam perdere. Illud inter nos indubitatum esse oportet, ubicunq; terrarū agit Vlattenus, ibi præci-

puum quendam esse Erasmi patronum & amicum: rursus ubicunq; est Erasmus, ibi Vlateni iuratissimum esse amicum. Fac ut sciam quid rerum geras. Quid hic agatur ex Quirino meo cognosces, qui urgente patre redit in patriam ad nos non reuersurus. Apud me non potuit amplius crescere. Opto tibi perpetuam prosperitatẽ. Friburgi, Id. Mart. Anno M. D. XXXI.

ERAS. ROTERODAMVS COLLEGII BVSLEIDIANI PROFESSORIBVS S.

VIdetis quanta sit uobis aduersaria parata, quantum'q; certamẽ ex collegio bilingui, quod Galliarum rex Franciscus instituit Lutetiæ summa omniũ expectatione. Qualiscunq; erit euentus: quem & opto & spero fore felicissimum: uobis certe laus hæc manebit integra, q̃ priores negocium pulcherrimũ sitis aggressi, ac cæteros ad æmulationem prouocaueritis. Accedit & illud ad gloriæ uestræ cumulum, q̃ inuidiæ primos impetus excepistis ac sustinuistis, sequuturis'q; prouinciã tradidistis nõ paulo facilioremẽ. Quin hoc quoq; nomine uestra uirtus erit celebratior, quod aduersus excetram nõ est patrocinata regij nominis autoritas. Si illi in hoc antecellunt, quod singulis linguis bini professores destinati sunt, id'q; salario, ut fertur, uberiore, Hieronymo Busleidio nõ potest imputari, qui quod habuit, in solidum isti negocio dedicauit. Cæterũ, quod apud Gallos linguæ Latinæ nullus designatus est professor, id adeo' nõ improbo, ut uobis imitandum censeam, simulatq; eius linguæ professor suo cõmodo cesserit, id'q; salarium cæteris duobus accrescat. Hæc eo' scribo, ut pristinæ uestræ diligentiæ aliquã adiungatis accessionem, & auditorũ frequentiam profitendi dexteritate retineatis. Rebus nouis plericq; magis capimur, & Galliam pacatã habere cœpimus. Quod si uos destituant auditores, fiet ut & ipsi frigidiores ad profitendũ reddamini. Contra hęc uobis omni cura & industria connitendũ est. Hactenus pulchre se habent primi actus fabulæ. Protasim excitabit æmulatio collegij regij, uestra uigilantia imponet plausibilem catastrophen. Bene ualete. Friburgi Brisgoiæ Ip. Calend. April. M.D.XXX.

ERASMVS ROT. GVILHELMO MONTIOIO S.

OPinor me tumultuãter respondisse tuis literis amice incomparabilis. Nũc ad easdem ordine, sed paucis. Quę de serenissimę reginę in me studio scribis, ut nouum nihil, ita fuere iucundissima omnia. Quis talem fœminam tam sanctis præditã moribus nõ amet, nisi impius? etiam si nullo munere honorario pensasset officiũ meum. Maria cui dicaui Viduam Christianã, literis propria manu descriptis testata est propensam erga me uoluntatẽ, ea'q; res mihi magnifici muneris instar est. Totus orbis nunc tumultuatur, nec ullus uel principũ uel plebeiorum expers est publicæ calamitatis. Hæc est huius seculi fabula. Sed summus ille choragus omnia sicuti spero conferet in lætum exitũ atq; plausibilem. Regis Ferdinandi res indies crescunt, ut spes sit illum aliquando & potentissimũ et orbi saluberrimum principem futurũ. Cum Turca sperantur inducię, quod ut ad orbis Christiani, præsertim Austriæ tranquillitatem necessariũ est, ita ad proferẽda nostrę religionis pomœria nõ paulo conducibilius arbitror q̃ bellum. Si Carolus filius tuus talem epistolam scripsit suo Marte, tempus est ut Erasmus abijciat calamũ. Certe toto pectore quũ tibi talem filium, tum ipsi talem indolem gratulor. Seruet sua dona qui dedit. Aestate proxima cum medicis & chirurgis, hoc est, carnificibus mihi fuit res, ob durum ac dirum apostema, à quo lente, sed feliciter reualui. Non deesset fortuna, si ualetudo pateretur me ulla ex parte hærere principũ aulis. Aut sic mihi uiuendum est ut uiuo, aut omnino non uiuendũ est. Cedo fatis, frustra reluctaturus. Quod attinet ad impro-

ad improbitatem obtrectantium, næ tu uix trientem scis eorum quæ mihi sunt tolerranda. Habet suas excetras Hispania, habet Italia, habet Gallia, habet Germania, habet & Britannia, qui clàm spargunt suũ uirus, nec tamen in scenam prodeũt, sed per subornatos agunt fabulã. Hactenus animus fuit præsens, ut spero futurũ & in posterum. Illud planè mei fati est, à magnis aut diligor, aut metuor, à canibus ac cimicibus impetor. Posthac tamen decretũ est nõ habere pantalabis & spermologis tantũ honoris, ut illos digner respõso, quod uno ore mihi sunt autores uiri doctrina iuxta & prudẽtia præcellentes, Tonstallus, Sadoletus, & Alciatus. Optarim tuã mi Montioie fortunam esse parem animo tuo, nõ quod mihi res redierit ad incitas, ut aiunt, sed quod nunc deceat Erasmũ & senem & tantum bellatorem aliquanto magnificentius uiuere. Non desunt in Germania magni qui mihi bene uelint, sed honestius est non mutare ueteres Mecœnates. Archiepiscopum Cantuarien. uereor ne mihi breui senectus eripiat. Quanctῳ τῶμ συναποθνησκόντωμ fœdus inter nos pacti sumus, ne alter alteri superesset. Verum hæc utcunq; habent habitura'ue sunt, perpetuo tuo in me studio mirum in modũ delector, quam uoluptatẽ filius, tuas uices suscipiens, ut in literis ad me suis profitet, mihi cõduplicauit. Libens illi dicassem libros apophthegmatum, quippe argumentũ & tuo cognatum ingenio, & affine prouerbijs, sed superior ętas mihi fuit sterilis, & hyems ob quassam ualetudinem non admodũ fertilis. Debebam autem primã quamq; fœturam mira indole adolescenti Guilhelmo duci Iuliacensi. Proinde Titum Liuium quinq; libris auctum dicaui Carolo, ut hoc saltem pacto, & illius studijs calcar adderem, & elegantissimã eius epistolam pensarem utcunq;, si cum ea paria facere nõ possem. Si hanc epistolã reddet Simon Grynæus, cuius nomen est in præfatione, rogo ut ei cõmodes in suo negocio, quod qdẽ sine tuo incommodo possis. Est homo Latine Græce'q; ad unguem doctus, in philosophia & mathematicis disciplinis diligenter uersatus, nullo supercilio, pudore pene immodico. Pertraxit hominẽ isthuc Britanniæ uisendæ cupiditas, sed præcipue bibliothecarum uestrarq; amor. Rediturus est ad nos, per hunc itaq; quæ uoles scribas licebit. Quod ut facias oro. Iussi ut Carolo tuo exhibeat volumen Titi Liuij. Bene uale. Friburgi. xv. Calen. April. Anno à Christo nato M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. IOANNI ROSINO S.

VIx credas mi Rosine q; me tuo illo unico congressu tibi deuinxeris, totũ'q; tuum reddideris. Quanquã enim ingenij tui candorem, eruditionem, & humanitatem ex tuis literis, tuo'q; carmine ueluti deliniatam animaduerteram, tamen eadem omnia è uiuo colloquio, oculis, & ipsa fronte multo perspexi euidentius. Quapropter diem illum inter candidos mihi numerandum censeo, qui nostram amicitiam tam amico affatu confirmarit. Restat, ut mutuis officijs ac uicissitudine literarum eam alamus. R. D. Fabrum, cuius copiam mihi spoponderas, hoc facilius habui excusatum, quod tu illius uicem quodammodo apud me explesses. Literis ex Agrippina missis excusauit, quod per sodales canonicos non licuisset inuisere nos, pollicens in reditu uel cum itineris dispendio se nos aditurum. Sed quod ille pollicebatur, uix ipse mihi sum ausus polliceri, quippe qui scirem omnium minime sui iuris esse qui semet aulicis negocijs manciparunt. Gaudeo te in humanissimi principis regia honesto loco numero'q; iam esse, spero'q; futurum ut accedat & census & dignitas tuæ doctrinę tuis'q; moribus debita. Quanquam nihil erat seriæ rei, quod ad te scriberem, tamen quum oblatus esset hic Erasmus adolescens generosus & eruditus, non putaui committendum, ut istuc ueniret absque meis literis. Bene uale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, xvij. Calendas Apriles. Anno à Christo nato M. D. XXX.

ERAS. ROT. AVGVSTINO TRIVVLTIO CARD. S.

DEum immortalem, ut crebro felicius cadunt audacia & moderata cõsilia. Nonnihil antea succenſebam Germano noſtro, quod ſuis uiolentis literis me ad hoc officium improbum perpuliſſet: nunc poſtea & ea res mihi tam proſpere ſucceſſit, par eſſe puto, ut illi pro expoſtulatione maximas agam gratias, cuius opera factum eſt, ut tanta felicitas cõmodis meis acceſſerit. Quis enim ſibi nõ uideatur felix, ſi uel longo ambitu in tanti tam'q; laudati principis familitium recipe retur. Hæc uerba quamlibet pro mea mediocritate honorifica, non placent iſti tuæ ſingulari modeſtiæ: recipis in amicitiam, imo' nõ recipis, ſed tibi gratularis, cui con-tigerit per occaſionem in noſtram amicitiam inſinuari. Iſta modeſtia qua te nimio plus demittis, excelſior es mea quidẽ ſententia, & cæteris tuis uel uirtutibus uel or-namentis, quæ Germanus Brixius facunda epiſtola prædicauit. Ille ſuis literis præ-dicauit, tu feciſti fidem tuis tam prudenter tam'q; amanter ſcriptis literis, Ad meden dum febri Germaniæ hactenus & fidelem & ſtrenuam & conſtantem nauaui ope-ram, ingenti rerum mearũ diſpendio, magno'q; ualetudinis ac uitę periculo: ſed pro bene nauata opera, mihi refertur peſſima gratia, id'q; ab his etiam pro quibus depu-gno. Nam quod diuerſa pars me machinis omnibus impetit, meo merito ſuo'q; iure facere uideri poteſt. Sed quod ab his quorũ gratia periclitor, tot libellis uenenatis impetor, ſatis demirari non poſſum. Nec defuerũt Romæ, qui ſiniſtris crimina-tionibus Clementis animum à me conati ſunt alienare, neq; nihil profecerunt. At ſi ſummus Pontifex penitus noſſet totius negocij circumſtãtias, haud quaq; inter po-ſtremos numeraret Eraſmum, quos ſuo fauore dignos iudicat. Nam mitras & opes non ambio. Autoritatẽ uel in hoc adeſſe uelim, ut improborũ latratus ſubmoueat. Sint igitur hæ tuorũ in me officiorum primitię, ut per te ſummus pontifex intelligat Eraſmũ ſumma ſynceritate, pari'q; conſtantia Chriſti negociũ egiſſe, tantum'q; di-ſcriminũ in ſuum caput accerſiſſe, ut ſi mercedem hominũ ſpectem, ſummi põtificij conditionẽ fuerim recuſaturus. Eruditos fere' omneis mihi reddidi infenſos, & qui-bus antea ſum uſus amicis intimis, & omniũ arcanorũ conſcijs, hos nunc patior ho-ſtes maxime capitales. At nulli ſunt ad perdendũ hominẽ magis inſtructi, & qui cũ eo familiariter uixerũt. Nam hi ut nullius criminis conſcij ſint, multam tamen habẽt materiã unde probabiles calũnias fabricentur. Et habent iſti quoſdã artifices omni maliciæ genere inſtructos ad criminationibus ſubmouendos quos ſibi ſentiũt infe-ſtos. Apud Regem Galliarũ, cuius ut antea calamitatẽ ſummopere dolebã, ita nunc tranquillitati uehemẽter gratulor, nihil eſt q̃d ambiam, niſi quod illi charus eſſe cu-pio, quẽadmodũ ille frequẽter propenſam erga me uoluntatẽ declarauit. Quod tua pollicẽ benignitas, toto pectore recipio, ac uiciſſim defero q̃cq̃d obſequij patrono optime merito pręſtare debet ac ualet fidelis & gratus cliens. R.D.T. ſoſpitet ac pro ſperet in omnib. dominus Ieſus. Datũ apud Friburg. Briſg. pri. Id. April. M.D.xxxi.

ERAS. ROT. LEONARDO OFFI. ARCHIEP. BESONTINI S.

IOdie demum cepi guſtum uini quod tua donauit benignitas, ſpero fore accõmodũ et meo ſtomacho, & eſtiuis menſibus, quos utinã liceret hic, ut hactenus, tranquillis rebus peragere. Abunde calamitatũ erat, ut nihil ac cedat. Toleraſtimus peſtem tota hyeme ſæuientẽ, perferimus omniũ rerum charita-tem prodigioſam, & q̃d monſtri ſimile eſt, indies creſcentẽ, quũ inſigniter decreue-rint homines, & anni ſuperioris prouentus ſatis fuerit benignus. Habemus iam pri-dem tria inauſpicata numina, διχόνοιαν, βδελυμίαν καὶ λοιμόν, quibus ſi ſe adiunxerit ὁ ἐννάλιος, uereor ne cõſpiciamus in tota Germania miſerandã rerũ faciem. Preçor ut

hoc meũ

hoc meum uanum sit auguriũ, certe hactenus non placent procœmia. Quin & illud metuo, ne res sacerdotũ, quorũ causa uidetur agi, nihilo meliore statu futuræ sint q̃ nunc sunt, utinam ne deteriore. Vt rectus sit ac simplex principũ oculus, quæ sex hominum sub huius belli prætextu inundabit in Germaniam, Iudæi quibus in Hispania non licet esse tutis, ex tota Germania latrocinijs ac prædationibus assueti. Adde totũ hoc genus aut esse propensum in sectarũ partes, aut esse hoc animo, ut nulla religione teneantur. An putamus feliciter cessuram arationem inuitis bubus? Sed horum inquies, temeritas principum autoritate cohercebitur. Scilicet exemplo nobis est Roma tota q̃ Italia tã misere uexata. Exemplum est Vienna, plus à suis defensoribus perpessa q̃ à Turcis hostibus, si uera scribunt qui illic agunt. Sed in quo bello, quamuis æquo, q̃uis iusto nõ audimus tales querimonias? Morbus inquies atrox, duris remedijs sanãdus est. At Seneca nõ probat remedia morbo grauiora. Et Crassus medicis obnoxius alterius cruris sectionem passus, uetat chirurgum ne ad alterum transeat, quod existimaret curationẽ esse morbo grauiorem. Sed quid fiet interim pijs ac bonis uiris, quibus nõ est cõmodum ex urbibus suis emigrare, utpote in quibus habẽt uxorem, liberos teneros, parentes ætate segnes, domos, census, debitores, alia q̃ retinacula? In horũ capita maxima calamitatis pars recidet. Quale belli genus hoc futurum est, quod maximã orbis partem est occupaturũ? Quis medicus censet usturis aut sectionibus utendũ, quum morbus nullã corporis partẽ reliquit integram? Habemus duos monarchas longe potẽtissimos, religionis amantes, sed iuuenes, & hoc fraudi magis idoneos, quo sunt probiores ac religiosiores. Carolus obtemperaturus uidet̃ quicquid præscripserit Clemens vij. Quod si deus illius mẽtem afflauerit, ut nihil præscribat nisi Christo dignũ, sperandus est horũ tumultuum lætus exitus. Sed. sed. Sed nihil addo. Opus esset hic noctuis aliquot, quæ per tenebras cernerent. Postremo quid fiet de mei similibus? Ego iam partim ætate, partim aduersa ualetudine, factus sum è re mobili res soli: sic eĩ uos soletis loqui: uideor q̃ transformatus ad genus animantiũ quæ uocant̃ adhæsa. Si tumultus extiterit, quid restat nisi ut q̃uo animo decedam ex hac uita? Vocor Augustam tum amantissime, tum magnificis cõditionibus. Sed non libet periculũ mutare periculo. Vocor in Italiam, Sabaudiã, & Galliam, sed certũ est non egredi ditiones Cæsaris, cuius fauore substiti hactenus, & longiori profectioni nõ audeo corpusculũ hoc cõmittere. Ad uos demigrare possum cũ autoritate Cæsaris & Ferdinandi, sed nolim illis esse incõmodo quibus optime cupio, nisi forte res iã sunt tranquilliores. Misissem aliquid librorũ, sed hic nõ erat onerandus sarcina. Verũ simulatq̃ Hieronymus Frobenius redierit ex emporio Frãcfordiensi, curabo ut è Basilea sarcinula ad te perferatur. Si admonear, quo officio possim aliquã partem tuorũ in me meritorũ repensare, cupidissime facturus sum. Ex animo loquor. Nam bonã uitę partẽ tibi debeo. Bene uale. Datũ Friburgi Brisgoiæ. postrid. nonas April. An. à Christo nato M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS ANGELO ANDREAE RESENDO LVSITANO S.

QVum à me dimitteretur istuc Quirinus amanuensis meus Resende charissime, sic eram delassatus & epistolarũ negocijs, & curis quibusdam domesticis, ut ægre tueri licuerit corpusculi ualetudinem. Quibus rebus factum est, ut carmen tuum sanè q̃ elegans tantum degustarim, respondere autem nullo pacto uacarit. Verum simulatque datum est à negociorum tumultu respirare paululum, mox carmen tuum & attente & auide perlegi: in quo nihil mihi non magnopere placuit, nisi quod uideretur breuius, meq̃ adhuc famelicum ac sitientem reliquerit. Sed obsecro te quis deorũ aut quę dearum immisit tibi istum tam fla-

grantem Erasmi amorem? Nam quũ in me nulla uideam philtra, quæ uel mediocriter animum in me tuum inflãmare possint, ista tam singularis erga me beneuolentia θεόπνευστος sit oportet. Suspicor tamen arcanam quampiam esse geniorum nostrorum cognationem, quæ nos conciliat. Quo magis aueo te propius etiam cognoscere, quanquã ingeniũ & indolem tuam ex uersibus tuis mihi uideor satis habere perspectam. Illud tibi uidendum est, ut & istum animi candorem, & eloquij uenam bene colloces. Mihi quidem uehementer iucundum est abs te uel amari, uel prædicari, sed doleo nihil esse in me tuis dignum affectibus. Longum illum Stentorem, quem mihi quidem pulchre deliniasti, sed ipse seipsum in suo libello non minus indocto, q̃ infante sic omnibus expressit coloribus, ut nullum speculũ certiorem cuiusq̃ reddere possit imaginem, non potui non ridere. Quid illi uenit in mentẽ, ut homo tragicam gerens personam, se pueris deridendũ propinaret? Non me clàm est ab illis aliquid monstri ali clanculum. Hinc ista confidentia, de successu uiderit deus. Tibi uero mi Resende lubens autor fuerim, ne quid istam excetram in te prouoces. Fuit olim regnum Assyriorũ, Græcorum, Medorum, Romanorũ: quid si deus aliquis nunc uelit esse regnũ monachorum aut stultorũ? Habeant & illi uices suas, si ita uisum est fatis. Tu te musis tuis oblecta. Cæterum illud tibi persuadeas uelim, & indolem istam & animũ mihi cum primis non modo charum esse, uerũetiam iucundum. Scio nihil exactius Coclenij iudicio, nec ille quenq̃ temere prædicare solet. Porrò sic amo uirum, ut uel solo illius affectu cogar amare quemlibet: tantum illius tribuo iudicio, ut præterea nihil requiram argumentorũ. Bene uale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ. Festo Eucharistiæ. M. D. XXXI.

ERASMVS ROTEROD. TIELMANNO A FOSSA S.

NIhil opus erat ulla excusatione Tielmanne charissime, qui nulla in re peccas, nisi quod immodice diligis. Fac ut habeas rationem tuæ ualetudinis, uel eo' quod multi sint quibus te saluo est opus. Grynæũ tibi placuisse gaudeo. De famulis duobus mihi iam prospectum est, aliquanto minus eruditis, q̃ illi fuerant quos dimisi, sed moribus cõmodioribus. Sic mecum agitur, ut concionatorem absoluere, nec uacet, nec libeat, nec expediat, hoc furioso seculo. Ricuuino suã felicitatem gratulor. Comes à noua aquila diutius uiuere potuisset, nisi dignitatis q̃ ualetudinis rationem habere maluisset. De Bernardo Hagio & Ioanne Greppero næ tu magnam uoluptatem mihi nuncias, scribam illis simulac dabitur ocium. Beddaicam camarinam Albertus Pius rursum suo uolumine mouit. Grynæus tibi bellam narrauit fabulã de matrimonio, nisi quod arbitror abs te perperam intellectã. Prædicarat in suis ad me literis meam laborũ in studijs tolerantiam in decrepita ætate, sed præcipue standi patientiã admirabatur. Ego uicissim iocans extuli uires meas, addens me iam etiam uenari uxorculam, ne quid ista decrepitæ senectutis cõmemoratione officeret meo coniugio. Ille, ut est facetus, respondit si non contingeret alia, se cessurum mihi suam, quam haberet puellam annos natam uiginti duos. Egi gratias pro cõmoditate. Tantum de matrimonio. Hominem indies expectamus ex Anglia reducem. Quanq̃ terret me carmẽ Vergilianum, Facilis descensus auerni, nosti cætera. Bene uale. Friburgi Anno M. D. XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS EOBANO HESSO S. D.

SVperiores tuas literas Eobane doctissime, licet non tam edentulas q̃ eas uideri uolebas, hoc æquiore animo perlegi, quod facile suboleret, illas alieno magis impulsu q̃ tuo stomacho scriptas esse: proinde moderatius ad eas respondi, nihil omnino responsurus, nisi subinde uocatus fuissem in ciuitatis ac magistratus

magiſtratus læſi inuidiam, quo telo quidã euangelij titulo ſeſe iactitantes nimiũ frequenter uti gaudent. Ego ob dogmatũ uarietatem nulli amicitiam renunciaui, præſertim ijs quos mihi ſingularis eruditio conciliauit: in quibus te uel in primis numero, cui contigit quod M. Tullio fuit negatũ, quod Philelphus ſibi arroganter uindicauit, ut ita pangas carmen, quaſi nunq̃ attigeris ſolutam orationem: ita ſcribas proſam, quaſi cum muſis nihil unq̃ fuerit cõmercij. Hoc diuorum munus tu ſtudio atq; uſu ad ſummũ uſq; perduxiſti. Qui potuit igitur meus in te amor refrigeſcere, quũ in te augeſcat indies id quod me in tui admirationem rapuit? De adito Louanio nihil excidit. Memini ut ueneris cũ Aegrauio Syluio, nec ſine munuſculo, quàm'q; frigide fueris acceptus: in cauſa fuit quod ob ualetudinem ab omnibus cõuiuijs abhorrerem, præterea quod tum temporis alternis fermè diebus adeſſent è Germania ſalutatorum iuga, quorũ nemo uoluit diſcedere, niſi literis onuſtus. Iam tum moliri uidebantur hanc fabulã, a' qua ſemper abhorrui: eam utcunq; cœptam progreſſam'q; precor ut deus ἀπὸ μηχανῆς uertat in lætum exitum. Anſelmus Ephorinus, uir ſingulari doctrina, pari'q; morum probitate, quem cõmendaſti, mihi gratiſſimus eſt conuictor, quo tamen non dabitur diutius frui. Sub autumnum petet Italiam. Agnoſco ueriſſimũ eſſe quod ſcribis, ſi totus ille Thraſo æſtimetur, non ualet dupondio. Hercules tamen nunq; congreſſus eſt cũ monſtro pertinaciore. Omnia concoxi, ne per me conſequeretur quod ambit. Paſcitur mendacijs non aliter q; Chamæleon aura, nec quicq; habet dulcius q; fuco quæſitas gloriolas. Mirareris ſi pernoſſes fabulam. Sed certum eſt poſthac negligere glorioſum militem. Legi epicedia tua, ſed nullum maiore cum animi dolore q; Bilibaldi. Ioachimus plus habere uidetur curæ q; naturæ. Non omnia poſſumus omnes. In ſcazonte nouam uſurpauit libertatẽ, haud ſcio quem ſequutus autorem: nam quos ego legi, ſemper finiũt uerſum cretico & ſpondeo. Vide q̃ ſim curioſus rerum alienarũ. Sed Ioachimũ mihi ſalutabis amanter. Vtinam tuo cõmodo fiat, ut nos hic aliquando uiſas. Louanij uidiſti hominis umbram, nũc uiſurus es umbram umbræ. Theocritus tuus hic nondũ proſtat, ſed curabo alicunde. Quidam narrarũt mihi edidiſſe te ingens uolumen epigrammatum, in quo eſſet crebra mei mentio: id an uerũ ſit neſcio, certe hactenus nanciſci non potui. Bene uale, Eobane doctiſſime. Friburgi pridie pentecoſtes. M.D.XXXI.

ERAS. ROT. MARIAE VNGARIAE QVONDAM REGINAE S.

SEreniſſima regina, Viduam meam utcunq; pro mearum occupationũ magnitudine, pro'q; mei ingenij modulo tractatam, tã benigno animo a' tua maieſtate receptam eſſe, maiorem in modum gaudeo. Illud me cruciat ac rubore ſuffundit, opuſculũ nec tuæ magnitudini, nec iſti animo tam pio ſatis reſpondere. Video te laudibus tuis nonnihil offenſam, quũ hac in parte ſtudio fuerim parciſſimus. Sed hoc laude dignior es, quod eximijs uirtutibus tuis modeſtiã ceu gemmam omnium pulcherrimã addidiſti. Domini benignitas tuam pietatem ſemper in maius prouehere dignabitur, ac pro triſtibus læta reponere. Interdum aduerſis uel purgat uel exercet nos: ſed ille nouit amara, uberiore conſolationis ſuæ dulcedine temperare. Is maieſtatẽ tuam ſoſpitet, actiones'q; tuas omnes bene fortunet. De ualetudine mea cognoſces ex Henkello. Epiſtolium tua manu ſcriptũ tanq; animi tui chariſſimum pignus inter ea reponetur, quæ mihi maxime ſunt cordi. Datum Friburgi Briſgoiæ ix. die Iulij Anno M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS MALDONATO S.

ACcepi literas tuas Maldonate chariſſime, binas quidem illas, ſed eodem argumento, niſi quod exemplo poſteriori coroniden adieceras. Ad quas

ut breuiſſime

ut breuissime respondeam, Ad prolixam illam epistolam qua mihi uelut ex amico rum delegatione, monachorum tragœdiæ unam atq; alteram pertexueras, iam pri dem prolixiore respondi. Eam simulatque sensi ad te perlatam non esse, misi rursus exemplar, ne c grauarer tertio mittere, nisi migratio (nam Basileam reliqui, magno rei familiaris dispendio, sed gratia superis, citra ualetudinis iacturam) supellectilem omnem meam sic perturbasset, ut non pauca perierint. Iam'q; res eò refrixit, ut non sit operæprecium studiose perquirere. Quid acciderit illis demiror. Illud certissimũ est me bis misisse, quiduis tamen suspicer potius q̃ Valdesij hoc incuria factum esse, quum nihil sit illo iuuene candidius aut amicius. Nec dubito quin histriones isti per gant reliquas fabulæ scenas absoluere. Sed adeò sum satur istorum tumultuum ta lium, ut nec illa libeat cognoscere, quæ ad me pertinent. Faciat de me dominus quod ipsi uisum fuerit, modo nos rectum, ut aiunt, clauum teneamus. Quod mihi de multis preclaris gestis ac dotibus gratularis, utinam id tam meo merito faceres mi Maldonate, q̃ id facis & amanter & diserte. Hi fatales orbis tumultus, hæ prodigio sæ calamitates, quarum nullus est modus neq; finis, sed semper ultimam excipit alia grauior, tum inaudita mortalium prauitas facit ut omnium studiorum me prope modum pigeat, non modo artis istius gladiatoriæ. Mihi iam rudem dedi, uobis in uenibus lampadem tradens. Nobis hic multæ res parum læta minitantur. Sub ad uentum Cæsaris muniunt se nouis addicti sectis tanto studio, ut si nihil aliud, q̃ τὸ ἀσφαλὲς spectem, dubitaturus sim utrã in parte malim esse. Precor ut dominus om nia uertat in prosperum exitum, qui nisi huic interueniat fabulæ, uidetur cruentam habitura catastrophen. Bene uale, nos'q; quod facis ama. Datum Friburgi Bris goiæ, Idib. Ianuar. Anno M.D.XXXI.

ERASMVS ROTERODAMVS VALDESIO S.

NIhil non debeo fratri tuo Valdesi charissime, qui in me amando, tuendo, demerendo nullum seruat modum. Is quoniam abest, æquum est ut isthic mihi in germani uicem succedas, quem hic uti spero uere proximo uide bimus. Facile condono quod non respondes meis literis, modo amore mutuo respondeas, quod te facere non dubito, nisi me fallunt omnia. Non onerabo te pluribus, cætera cognosces ex Francisco Dilfo, qui semel adamatam Hispaniam non potest relinquere. Bene uale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ Idibus Ianuar. Anno M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS VALDESIO S.

AN proximas literas meas uir amicissime receperis, nõdum certe licuit co gnoscere: nam audio complurium querimonias, de epistolis interceptis, aut parum bona fide redditis. Scripseram autem satis prolixe. Miseram & R. D. episcopo Burgensi literarum fasciculum, quum legatum ageret in Anglia, rogans ut eas in Hispaniam perferendas curaret, is'q; hoc sibi curæ futurum respon dit. Nunc non est quod pluribus tecum agam, quum γραμματοφόρον sim nactus Franciscum Dilfum, unde possis omnia quæ hic geruntur melius quàm ex meipso cognoscere. Est enim facundus, exploratæ fidei, mihi cum primis amicus ac fami liaris, nec ignotus tibi. Nunquam enim desinit nobis tuam erga se comitatem hu manitatem q̃ prædicare. Ex eo sum expiscatus omnia, quæ ad ualetudinem, fortu nas, ingenium ac mores tuos germanorum'q; tuorum pertinebant. Ille sic depinxit singula, ut mihi non minus noti sitis, quàm si annuam uobiscum egissem consuetu dinem. Quid multis? Effecit, ut ex charissimis mihi sitis chariores, hoc quoque no mine, quod quicquid officiorum in illum contuleritis, existimem ad me pertinere.

Itaque

Itaq; tametsi non omnino feliciter succeſſit adita primum Hiſpania, tamen mihi satis proſpere ceſſit. δευτέρωμ, aiunt, ἁμαρτόντωμ, si non mentitur prouerbium, haud mediocris felicitatis pars commodis meis acceſſerit, quandoquidem iſthic Dilfum habiturus ſum cui tuto poſſim quiduis committere, imo qui ſponte ſua ſit diligenter curaturus, ſi quid meis commodis aut exiſtimationi uidebitur conducere. Ex hoc igitur ut emunxi quicquid de rebus Hiſpanienſibus ſcire uolebam, ita tuum erit uicißim ex illo exculpere, ſi quid de rebus harum regionum audire cupies. Bene uale. Id. Ianuar. Anno M.D.XXX. Friburgi Briſgoiæ.

ERAS. ROT. MARGARETAE ROPERAE S.

VIx ullo ſermone conſequi queam, Margareta Ropera Britanniæ tuæ decus, quantam animo meo perſenſerim uoluptatem, quum pictor Olpeius totam familiam iſtam adeo feliciter expreſſam mihi repreſentauit, ut ſi coram adfuiſſem, non multo plus fuerim uiſurus. Frequenter illud apud me ſoleo optare, ut ſemel etiam ante fatalem uitæ diem intueri contingat chariſſimam mihi ſodalitatem, cui meæ qualis qualis eſt, uel fortunæ uel gloriæ bonam partem debeo, nec ullis mortalium debeo libentius. Huius uoti non minimam portionem mihi præſtitit ingenioſa pictoris manus. Omnes agnoui, ſed neminem magis q; te. Videre mihi uidebar per pulcherrimum domicilium relucentem animum multo pulchriorem. Equidem uobis omnibus iſtam gratulor felicitatem, ſed præcipue parenti optimo. Quo minus autem uos pœniteat ſtudiorum ueſtrorum, mitto epiſtolam probatiſſimi uiri, qui apud Mariam quondam Vngariæ reginam Cæſaris ſororem eccleſiaſtæ munere fungitur. Ea eſt cui dicauimus Viduam Chriſtianam, quam arbitror tibi lectam eſſe. Ex literis autem intelliges quanto ſtudio tam nobilis fœmina complectatur liberalium ſtudia literarū. Nunc experitur illa non eſſe uanum quod ſcripſit M. Tullius, literas in rebus ſecundis eſſe ornamẽto, in aduerſis ſolatio: quãquam illa cum primis erat digna perpetua proſperitate. Cæterum quando ita ſunt res mortalium, ut Euripi in morem alternis uicibus affluant ac defluant, animus eſt aduerſus omnem fortunæ habitum philoſophiæ præſidijs muniendus. Hæc ſcripſi pluſquam obrutus negocijs, adhæc imbecilla ualetudine: quare tua dexteritas hoc efficiet, ut omnes tuæ ſorores ſibi perſuadeant hanc eſſe iuſtam epiſtolam, & nõ minus ad ſingulas q; ad te ſcriptam. Ornatiſſimæ matronæ Aloyſiæ matri tuę multam ex me ſalutem dices, eiq; me commendabis & amanter & diligenter. Effigiem illius quando coram nõ licuit, libenter ſum exoſculatus. Ioanni Moro germano tuo precor omnia proſpera. Verum ſeorſum mihi ſalutabis ornatiſſimum Roperum coniugem, tibi merito chariſſimum. Dominus ſeruet uos omnes incolumes, omniaq; ueſtra ſuo omnipotenti fauore proſperare dignetur. Datum apud Friburgum Briſgoiæ poſtrid. Non. Septemb. Anno M.D.XXIX.

ERASMVS ROT. IOAN. ERASMIO FROBẼNIO S.

EPiſtolium ad te meum quod hic per obliuionem, ut opinor, reliqueras, tibi remitto. Dixeras enim hoc inter tibi chariſſima κειμήλια reponendum eſſe. Mitto & colloquia funiculis ornata, quæ ſi frequenter in manus ſumpſeris, fiet ut etiam abſentes inter nos miſceamus colloquium. Priuſquam relinquas Baſileam, fac ad me perſcribas, quàm tibi ſucceſſerit equitatio, quàmque felicibus auſpicijs te tua patria reducem exceperit. Quod ſi non pœnitet migrationis, nos tui deſiderium moderatius feremus. Sin & alacrius & maiore tuo bono uiuis alibi quàm apud nos uixiſti, gratulabimur etiam tuæ felicitati. Neque enim alia conditione te dimiſimus, quàm ut alibi magis ex animi tui ſententia, fructu'que uberiore

uberiore uitam ageres. Id si contingit, plus capiam uoluptatis ex tuis commodis, & ex absentia molestię. Sin minus, non dimisimus te, nisi huc rediturum, donec sese offerat commodior occasio. Proinde fac scribas & quamprimum & ex animo. Si non offertur alius certior, poteris per Bonifacium Amerbachiũ tuto quæ uoles significare. Scito nullas meas literas ad te uenturas inanes. Bene uale suauissime Erasmi. Saluta tuos omnes meis uerbis. Salutat te Haio. Nam Cannius, uti conijcio, scribet ipse. Datum apud Friburgũ Brisgoum postrid. Calend. Nouemb. M. D. XXIX.

ERAS. ROTERODAMVS IOANNI HENKELLO S.

SAltem hoc nomine amo Bellerophontem nostrum, quod bona fide reddidit, quæ mandaueramus. Nũc scribit sibi nihil deesse, præter duodecim aureos, quibus emat equũ & panopliam aduersus Turcos. Nam his atrocia precatur. Mi Henkelle, uix ullis uerbis assequi ualeam, quãtæ mihi uoluptati fuerit, quod incomparabilis illa heroina, multo pietate & tot regum ac Cæsarum stemmatis illustrior, Viduam nostram tanto amplexa est affectu: sed rursum pudet pigetq; nec materiam, nec tractationem uel animo meo uel illius meritis respondere. Quid est autem uir optime, quod tu mihi tuo quoq; nomine gratias agis pro tantillo officiolo, quo nonnihil uerebar, ne tua offenderetur modestia? Quare mihi cumulatissimam ab utroq; relatam gratiam existimo, uel ipse potius me debere ambobus profiteor, tibi qui huc instigaris alioqui cessatorem, illi quę qualecunq; munusculum tam candide sit interpretata. Itaq; non est quod hæc res te solicitum habeat. Quod si per horum temporum tumultus licebit aliquod uicissim μνημόσυνον mittere, quod & ornet accipientem, nec grauet dantem, quicquid erit eodem accipiã candore, quo uos meam opellam estis amplexi. Audis ambitionis uocem, non auaritię. Sunt qui putent aprum illum τρίχ ἄγριον, non fuisse prouocandum. Sed tamen posteaquã hoc factum est, ita uolente deo, sicut ego quidem interpretor, maiorem in modum gaudeo, rerum exordia Ferdinandi auspicijs feliciter succedere, spero'q; futurum, ut duorum fratrum iuncta potentia frangat aut certe mitiget illius uiolentiam. Vtinam breuior fuisset nobis rixa cum Gallis, atque hoc negocium maturius fuisset susceptum. Sed aliud meritis nostris debebatur, & fortassis hoc magis expediebat orbi Christiano. Mihi uero non paulo plus spei est in pietate Cæsaris & Ferdinandi, q; in opibus, copijs & armis. Tibi cum podagra rem esse, uehementer doleo. Sed quid est in rebus humanis ab omni parte beatum? Etiam atq; etiã te rogo, ut clarissimæ patronæ tuæ me commendes diligenter. Bene uale. Datum Friburgi postridie Calend. Nouemb. M. D. XXIX.

ERASMVS ROT. RICHARDO PACAEO S.

EXilij præ gaudio Pacæe charissime quum uiderem illam mihi non ignotam manum, acciperem'q; te tantis calamitatibus ac malorum naufragijs incolumem enatasse, ac pristinæ etiam dignitati restitutum. Hoc mihi gratius fuit q; si quis angelatos misisset sexcentos. Video non dormire numen, quod & innocentes eruit, & feroces deijcit. Ipse non referendis malis oppressus ob furias pseudeuangelicorum, uideor mihi per te quodãmodo reuixisse. Vtinam liceat ante mortem tuo conspectu tua'q; mellitissima consuetudine frui. Post fatales istas tempestates confido posthac tibi serena tranquilla q; fore omnia. De epistola ad me relata, non est quod labores, præter officia salutationis fere' nihil habebat. Eam Quirinus meus ait esse inter excusas. Roberto Feldo uel hoc nomine om̃ia bona cupio, quod tibi charus est, etiamsi mea contemneret. Moro tametsi summa dignitate quã accepit, & dignus est & par, tamen non tam illi gratulor q̃ regno Angliæ, atq; etiam

regi.

regi. Non alium esse scio isthic, uel ingenio tali præditum, uel uirtutem incorruptioribus moribus. Cura ut & suauissime uiuas Pacæe inter patronos meos præcipue, inter amicos synceriſſime. Datum apud Friburgum Brisgoiæ. xxij. die Martij. Anno, M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS CAROLO VTENHOVIO S.

IXistimo nostrum Heruagiũ isthic fuisse, meas'q; tibi reddidisse. Nam huc nondum redijt. Binas abs te literas accepi, posteriores misit ad me ex Augusta Vindelicorum Ioannes Cholerus præpositus Curiensis. Ait sibi traditas a' scholastico quodam. Venerunt ad me non resignatæ solum, uerumetiam effractæ, in quibus mi Carole desiderabam illam tuam solitam cautionem ac prudentiam. Scis hodie nihil tuto literis committi. Quàm erant illa libere scripta de eo qui multorum fefellit expectationem? At quanto liberiora, quæ de eo quem omnes uno ore prædicarẽt τύραννον εἶναι? Delectat me ingenij tui ingenuitas, sed hisce temporibus sub omni lapide scorpius dormit. Postremæ literæ tuæ mihi uidebantur indiligentius scriptæ. Nam sermonis elegantia non respondebat alicubi meæ expectationi, de Carolo tot iam annos uersato Patauij. Atqui huc Vtenhoui charissime, neruis omnibus tibi contendendum est, ut maximam tuorum de te expectationem superes etiam. Id facile perfeceris, si naturæ felicitati parem addideris industriã. Spero tibi nihil opus his stimulis. Sed tamen eximium quoddam animi mei erga te studium, quo fit, ut tuæ gloriæ faueam impensius quàm meæ ipsius, suasit currenti licet addere calcar. Bene uale. Audomarus tuus amantissime scripsit ad me, sæpius Ammonius, quo uiro non arbitror alium uiuere sanctioribus moribus, aut ingenij sanioris. Polyphemus bibit in Bohemia fortiter. Crebro scribit ad me, sed illi nihil respondeo. Ex Marco, qui has, ut opinor, reddet, cognosces cætera. Rursum uale. Apud Friburgum Brisgoiæ, vigesimo tertio die mensis Martij, Anno à Christo nato M. D. XXX.

ERASMVS ROT. IOANNI VERGARAE THEOLOGO S.

DEcreueram isthuc mittere quatuor summas operum Augustini, sed dimigratio perturbauit omnes res meas, nec quisquam se obtulit, qui perferendi negocium suscipere uellet. Arbitror autem isthic iam dudum prostare uolumina, & ineptum esset si isthic emi iuberem ære meo, quod talibus amicis donetur. Non ignorabam quantum deberem ornatissimi præsulis humanitati, uel pietati uerius erga me. Munus tamen ueluti pignus ac signaculum illius in me animi, fuit longe gratissimum. Eam pecuniam bona fide partitus sum cũ his qui cõferendo scribendo q; iuuerant, ut mihi ducatum unũ non fecerim reliquum, imo' de meo nõ nihil adiecerim, ut archiepiscopi benignitati iam non Erasmus modo, sed cõplures etiam habeant gratiam. Quod si perinde nostram industriam senserò illius iudicio probari, plane' triumpho. Est nunc in manibus Chrysostomus, simili maiestate proditurus autumno proximo. Accedent non pauca partim a' me, partim ab alijs uersa. Quanq; in his sunt quædam νόθα, meo quidem iudicio, ueluti commentarius in epistolam ad Hebræos, in Epistolam ad Corinthios posteriorem, in acta Apostolorũ, ut exemplum contaminandi sacros autores a' Græcis ad nos dimanasse uideatur. Card. Eboracensis sic offendit animum regium, ut spoliatus bonis & omni dignitate, teneatur, non in carcere, sed in quodã ipsius prædio, adhibitis triginta duntaxat seu famulis seu custodibus. Proferuntur in illũ querelæ innumeræ, ut uix existimẽt effugere posse capitis supplicium. Hic est fortunę ludus, ex ludimagistro subuectus est ad regnum. Nam plane' regnabat uerius q; ipse rex, metuebatur ab omnibus,

amabatur ā paucis, ne dicam à nemine. Paucis ante diebus & caperetur, curauerat Ricardum Pacæum conijciendum in carcerem, ac minitabatur etiam meo archiepiſcopo Cantuarienſi. Ante ruinam exaltantur ſpiritus, ait Solomon. Archiepiſcopus Cantuarienſis uocatus imò reuocatus eſt ad Cancellarij munus, quo non aliud in Anglia maius: ſed is excuſauit ætatem, iam imparem tanto negocio. Itaq; prouincia delegata eſt Thomæ Moro, magno omnium applauſu, nec minore bonorū omnium lætitia ſubuectus, & deiectus Card. Hæc retulit famulus meus nuper ex Anglia reuerſus. De noſtro priuato de' q; publico Germaniæ ſtatu, quoniam longa eſt hiſtoria, melius eſt te ex Franciſci Dilfi relatione cognoſcere, nihil enim illum fugit rerum mearū. Vixit apud me menſes aliquot, atq; utinā licuiſſet illo diutius frui: ſed rapitur miro deſiderio adamatę Hiſpanię, quū alioqui ſit apud ſuos honeſto loco & opulenta familia natus. Sed habet Vlyſſeum quiddam, & horret matrimonij capiſtrum, amore libertatis. Multis experimentis compertū habeo iuuenem eſſe magno prædituм ingenio, dextrum in gerendis negocijs nec infacundum, nec imprudentem, fide uero certiſſima, animo' q; in amicum amiciſſimo. Nolim te mi Vergara grauare mea cōmendatione, ſi tamen abſq; tuo incōmodo poteris illius conſulere commodis, & tuis in me officijs magnum nomen adieceris, & niſi me fallunt omnia, recte collocaris officiū tuum. Hic partim meam quoq; rem ago, uidelicet ut iſthic habeam alterum Eraſmū, qui mea non minus diligenter curet & ego ipſe. Facile illi dabitur aliquis locus in aula Auguſtæ. Nam hoc ambit. Pingit eleganter & ſcribit argute quoties intendit animū, ut ipſe non poſſim argutius. Si quidam tam fauiſſent illius negocio & ego uolebam, nō reliquiſſet Hiſpaniam. Næ ego ſum homo inſigniter impudens, qui quū tibi debeam omnia, nec ullam gratiæ partem reponam, tamē perinde quaſi bene meritus poſtulo tuum officiū. Niſi mihi contigiſſet talis grāmatophorus, uarijs de rebus ad te ſcripſiſſem: hunc Dilfus meus compluriū epiſtolarū inſtar eſſe poterit. Is nunc & deſijt narrare quantum tibi, quantum tuis fratribus debeat. Patronum tuū ita mihi totum depinxit, ut magis illum & antea tum ſuſpiciam tum amem. Hic cōſtans rumor fuit, archiepiſcopum Toletanum in fata conceſſiſſe. Id quum mihi magno cum animi dolore nunciatum eſſet, atque etiam perſuaſum, nec adhuc Auguſtinus eſſet abſolutus, ut liceret hoc laboris alteri cuiuis dicare: tamen fixum animo manebat, hoc officij illius dare memorię, quod uiuo deſtinaram. Sed ex Valdeſij mei literis accepi nuncium, qui mœrorem omnem abſterſit. In auctis epiſtolarum mearum uoluminibus reperies aliquoties nomen tuū, & fratrum tuorum, atq; etiam archiepiſcopi; quod illum boni conſulturum ſpero, nam de ueſtris animis nihil addubito.

ERASMVS ROTERODAMVS FRANCISCO VERGARAE S.

QVod Dilfum meum qui has tibi reddet, tam comiter amplexus es, & hoſpitem & ignotū, agnoui mi Franciſce & exoſculatus ſum ingenij tui candorem, mihi quidem antea non ignotū, ſed perq̄ iucundum fuit illius memoriam hac occaſione renouari. Erat iſte animus optimus feliciſſimo domicilio dignus, ſed ita ſunt res humanæ, nihil eſt diu lætum aut ex omni parte beatum. Accipimus autem eos uiros qui præcipuis animi dotibus excelluerunt, ferè fuiſſe ualetudinarios. Sed poſt nubila ſuccedet ſerenitas: & ſi non ſuccedat, magna mali pars abeſt, ſi adſit fortis & æquus animus. Spero tamen futurum, ut breui lætior ad nos dete nuucius redeat. Noua lues, iam olim uni Britannię peculiaris, ſubito ſe ſparſit per uniuerſas nationes, atq; initio quoniam malū erat ſubitum & horrendū, uidelicet intra horas xxiiij. ſæpe pauciores exanimans quem inuaſerat, animos omnium terrore perculit, adeò ut multis metus & imaginatio morbum conciliarit; corrupuit plu-

rimos

rimos, paucioresta men extinxit & ſoletiam nimium orbi nota epidemia: mox nulli feré periere, niſi per imperitiam medicorum, aut neglectam ægroti curam. Hæc peſtis ſi ueſtram Hiſpaniam non attigit, eſt quod illi uehementer gratuler. Dominus te nobis reſtituat incolumem Vergara chariſſime. Datum apud Friburgum Briſgoiæ. Idib. Ianuariis, M. D. XXXI.

ERASMVS ROT. IOANNI ET BERNARDO BOERIIS S.

QVum hic Franciſcus Dilfus iuuenis pluribus ornatus dotibus, honeſtiſſimo apud ſuos loco, mihi & multis nominibus chariſſimus decreuiſſet iſthinc in Hiſpaniam ſoluere, non putaui committendũ, ut tam bonam occaſionem paterer mihi fruſtra obiectam. Huic in mandatis dedi, ut uos conueniret, meis & uerbis ſalutem diceret, & ſi qua cupiditas uos tenet cognoſcendi quid agat Eraſmus, ex hoc licebit omnia diſcere, qui multo tempore mecum domeſticam habuit conſuetudinem. Inter amicitiam quæ mihi cũ patre felicis memoriæ ueſtro interceſſit, nonnulla incidit nubecula: noſtra, ut ſcitis, nunc & fuit interrupta. Proinde ſpes eſt nondũ prorſus excidiſſe uobis Eraſmũ, olim fortem uirum, quum cum ſcarabæo decertaret, nunc in ſenecta factũ gladiatorem, ut cui aſſidue cũ tot monſtris ſit depugnandum. Mihi magnopere iucundũ erit, ſi cognouero uos incolumes, & in olim feliciter cœptis ſtudiis gnauiter deſudare. Bene ualete. Datum apud Friburgũ Briſgoiæ Idibus Ianuar. M. D. XXXI.

ERAS. ROT. BAPTISTAE EGNATIO S.

EX Vtenhouii clariſſimi iuuenis literis cognoui te ſumma cum dignitate profiteri Venetiæ bonas literas, quas ubiq; feliciter efflorecere gaudeo: ſed uereor ne quorundam opera fiat, ut non leuioribus diſſidiis uitientur ſtudia, & uitiata eſt pietas, adeo frendent in me quod Ciceronianus meus taxat ineptos Ciceronis ſimios, & ad ueram illius imitationẽ hortetur. Galli quidam maledicis uerſiculis nomen meũ proſcinduut, & in eadem charta nominarim Budæum & Badium, nec aliter indignantur, & ſi illi minxerim in faciem, quum Budaicæ gloriæ ſemper & candidiſſime & conſtantiſſime fauerim, non alio nomine & ſtudiorum, quæ uir ille tum prouehit feliciter, tum ornat magnifice. Nam quod ad me pertinet, nihil illi debeo præter charitatem mutuam. Quot locis illius amantiſſime facio mentionem in omnibus meis lucubrationibus? Atq; in ipſo Ciceroniano paucis quidẽ uerbis, ſed quantum illi laudis tribuo? Metuo ne Cæſaris aduentus cruentos motus excitet in Germania. Ciuitates aliquot ſeſe parãt ad extrema. Scio magnam eſſe Cæſaris potentiam. Sed populus ubiq; maxima ex parte ſectis nouis addictus eſt, ruſtici pene omnes, nondũ priſtinæ cladis obliti, & ſemel dato ſigno fortaſſe concurrẽt, qui nunc quieſcunt. Vindictam molimur omnes, uitæ mutationem nemo uel ſomniat. Putorem melius ſucceſſurã, ſi Pontifex in Chriſti præſidiis ſpem ſuã reponeret potius & in turba Cardinaliũ, in principũ armis, & improbitate monachorũ, quorũ mores huic malo dedere ſeminariũ. Hi nũc τῆς ἀννεύσεως in Brabantia, & ſubinde ſacrificant holocautoma. Quo Turca ſit euaſurus, hic multi ſolliciti ſunt. Neq; eñ dubiũ eſt, qn metuat duorũ fratrũ indies creſcentẽ potentiam. Nusq; pax, nullũ iter tutũ eſt, rerũ charitate, penuria, fame, peſtilentia laborat ubiq;, ſectis diſſecta ſunt oñia: ad tantã malorũ lernam acceſſit lætalis ſudor, multos intra horas octo tollens è medio, & crebro quos reliquit breui interuallo repetẽs, nec id ſemel, ſed bis, ter, quater, donec in hydropem aut epidemiã, aut aliud morbi genus verſus, tandẽ extinguat miſeris excarnificatũ modis. Nec toties πληγέντες φεύγες γινόμεθα ἀμείνονες. Qui has ut ſpero reddet, Ioannes eſt Heruagius, q̃ duxit uxorem à Ioanne Frobenio relictam,

& in restituendi bonos autores prouinciã illi succesſet, uir bonæ fidei, nec indoctus, cui ſi qua in re citra tuũ incommodum cõmodare poteris, non dubito quin pro tua ſolita humanitate ſis hoc officij ſtudijs libenter præſtaturus. Vale. M.D.XXX.

ERASMVS ROT. CVTBERTO TONSTALLO S.

VEtus ille amicus per omnia ueterem morem obtinet, & benignitatem benignitate cumulans, & amantiſſimis pariter ac fideliſſimis monitis conſilijs'q; amici cõmodis famæ'q; conſulens. Quantum ex rer& proœmijs diuinare licet, poſt longas uocum & libellor& rixas, breui res hic agetur halabardachis & bombardis. Niſi mihi prior eſſet animæ q; rer& & corporis incolumitas, mallem in eorum caſtris eſſe unde profugi. Sed abſit, ut ego ob tantillum uitæ quod ſupereſſe poteſt tum ſeni, tum calculum, hoc eſt, certam mortem in ueſica alenti, deſeram eccleſiæ unitatem. Quid illius miniſtri de meis lucubrationibus ſtatuant, ipſi uiderint. Si tales nunc regerent eccleſiam qualis fuit Auguſtinus, pulchre mihi cum illis conueniret. At uereor ne ſi nunc Auguſtinus ſcriberet quæ ſcripſit, aut quæ hoc ſeculum poſtulat, non multo melius audiret q̃ Eraſmus. Pium eſt quod ſcribis, ignem igni non extingui: ſed impietatis ferre calumniam, impium eſt. Quid fecit Auguſtinus? Ex eo colligam ſexcenta loca, quæ nunc hæreſeos notarentur: nec multo pauciora ex diuo Paulo. Me quidem habebunt ouem, ſed interim liceat ouiculis dolere quod quidam humanis argutijs extinxerint uigorem euangelicũ. Hoc quid ſit, multi non intelligũt, multi his uerbis abutunt. Si theologi ſcholaſtici & monachi putãt ſeſe hac uia uindicaturos eccleſiæ tranquillitatem, planè falluntur. Ad Chriſtum eſt confugiendum. Hic hic uerum eſt, ignem igni non extingui. Hoc incendiũ ex tyrannide Romanenſium & malor& monachorum extitit. Illi ut extinguant incendiũ, addunt oleum. Hęc uidemus & dolemus, ſed Chriſto chorago cataſtrophen relinquimus. Hic ſcio me hærere inter ſacrũ & ſaxum, nec uideo quo' me tuto recipiã, ſupereſt ut nos domino cõmendemus. Thomæ Moro non admodũ gratulor, tametſi nec illius nomine doleo: ueſtræ Britanniæ ſerio gratulor, nonnihil etiam mihi. Ex Chryſoſtomo in acta uertẽ homilias tres, cuius operæ me pœnituit, quũ nihil illic uiderem Chryſoſtomi. Tuo tamẽ hortatu recepi codicem in manum, ſed nihil unq̃ legi indoctius. Ebrius ac ſtertens ſcriberem meliora. Habet frigidos & ineptos ſenſiculos, nec eos ipſos cõmode poteſt explicare. Ex commentarijs in epiſtolã ad Corinthios poſteriorem uerti homilias ſex, eundem artificem illic loqui ſentio. Itaq; nõ eſt animus bonas horas collocare male. Aliud ſpirat Chryſoſtomus. Egi cũ eruditis aliquot, ut quædã uerterent ab Oecolampadio uerſa, Brixius uertit Babylam, nũc etiã Monachum, ſed reperio ſegnes omnes. Illud curatũ eſt, ut partim Oecolampadius ipſe, partim alij docti corrigant ab eo uerſa. Scholia illius, annotationes marginariæ reijcientur, ne nomen quidem illius addetur. Ipſe ſua cũ Græcis ut ait, contulit, quod idem a' me factũ eſt in meis. Quod attinet ad fidem bene reddendi Græca, magis peccatũ eſt ab Aniano, Aretino ac cæteris, q; ab Oecolampadio, qui magis peccat feſtinatione q̃ imperitia. Verſionem Franciſci Aretini in priorem ad Corinth. habemus uſque ad cap. xxx. Cepi guſtum q; ſcite tractaſſet rem, & ecce in ipſo ſtatim limine, qd' eſt, τὸν τῦφον κατέβαλε καὶ ἔρριψε πᾶσαν ἀυτῶν οἴησιν. οἴησιν opinionem uertit pro arrogantia. Mox, οὐδὲν γὰρ ἡμᾶς καλωρθώσαμεν, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ τὴν σωτηρίαν ευρόμεθα, καὶ ἐπισὴ ἀυτῷ ἔδοξεν ἐκλήθημεν, uertit, nos nihil recte faciemus, & ſalutem inueniemus, non diſtinguẽs prius indefinitum a' futuro, nec ſaltem monitus uerbis præteriti temporis quæ mox ſequuntur. Ex his conijcito cætera. Anianus nihilo melioribus auibus auſpicatus eſt commentarios in Matthæum. Nam tertio ſtatim uerſu pro δεύτερον πλοῦν, id eſt, ſecundarium curſum, uertit ſecundas diuitias,

uitias, ſuſpicans πλεῖρ esſe dictionem decurtaram. Huius generis tam multa ſunt, ut propè facilius fuerit ab integro uertere, quàm emendare uerſa. Origenicum fragmentum bona fide reddidi: in quò etiamſi quid fuiſſet erroris, nihil erat periculi, quum nullus hodie legat illum ut dogmatiſten, iam olim proditis hominis erroribus. De euchariſtia priſci religioſe loquuti ſunt, priusquam hoc ueniret in quæſtionem: fortaſſe ne nunc quidem euidenter definiuit eccleſia quomodo ſit ibi corpus, ſub accidentibus, an ſub uero pane. Deinde conſtat temporibus Apoſtolorũ fuiſſe ſynaxim, quam laici inter ſe faciebant adhibita precatione & benedictione: & eum panem (ut eſt probabile) appellabant corpus domini: ut frequenter etiam in ſacris literis eadem uox ſigno & rei ſignatæ accommodatur. Fieri poteſt ut de hac ſynaxi loquatur ibi Origenes. Nec uſquam in canonicis literis inuenitur, ubi Apoſtoli certo conſecrauerint corpus domini, ſicut nunc conſecratur in altari, excepto uno loco prioris ad Corinthios epiſtolæ. xi. & tamen in. x. cap. unde fluxerat hic Pauli ſermo, non uidetur agi de conſecratione ſacerdotali. Iam ut accipiamus hic Origenem locutum de uera conſecratione, ſermo nihil habet abſurdi. Nam quod illic eſt materiale, hoc eſt panis, ſiue accidentia abeunt in receſſum, nec eſt utilitas ex ſumptione, ſi deſit fides. Nec impium eſt illic uerum corpus typicum aut ſymbolicum dici, quia ſub typis latet ibi corpus inuiſibile, & hoc ipſum corpus uerum quod ſumitur, ſymbolum eſt unitatis corporis cum capite, & membrorum inter ſeſe. Quod mones ut ſuper hac re declarem meam ſententiam, ne qua in me hæreat ſuſpicio: quur id ego faciam potius, quàm quiuis alius, qui nunquã aliter ſenſerim, loquutus ſim, aut ſcripſerim, quàm habet ueritas catholica? Quanquam quod mones, & epiſtola ante biennium excuſa ad concilium Badenſe, & mox libello in hoc ædito curatum eſt, qui libellus etiam germanice uerſus habetur. Quid autem faciam iſtis qui mea non legunt? Nam tibi ſcio per occupationem non uacare. De colloquijs reſpondi epiſcopo Linconienſi. Qui dicunt me ridere Chriſtiana ieiunia, pia uota, eccleſiaſticas ceremonias, abſtinentias ciborum ab eccleſia præſcriptas, inuocationes diuorum, & peregrinationes religionis ergo ſuſceptas, ut ſimpliciter & compendio dicam ἀτέχνως, mentiuntur. Superſtitionem quorundam in hiſce rebus derideo, iure optimo ridendam. Si tibi ocium eſſet euoluendi quæ reſpondi Hiſpanienſibus, quæ Beddæ, uideres iſtos de nihilo ſtruere calumniam. Aliud eſt quod illos ſtimulat. In Brabantia regnant monachi, præſertim obſeruantes. Hi ſubornarunt quendam ſui ſodalitij iuuenem, effrontem, inexhauſtæ loquacitatis, effrenis petulantiæ, factum ad conſpuendum Eraſmum, nihil recuſantem modo innoteſcat. Ridetur a' doctis, ſed ſibi nihilo ſecius placet. Non miror iuuenem inſanire ſiti gloriæ, patres illos demiror, quorum autoritate fretus hæc audet: qui ſi non uident, quantum inuidiæ dedecoris'que iuuenis præcox temeritas ſit ordini conciliatura, deſidero in illis iudicium: ſi quod arbitror, fauent & ſuffundunt frigidam, deſidero in illis ſobriam mentem. Nos ad hæc occalluimus. Si calculum, quem iam biennium alo in ueſica, poſſem excutere, cætera facile contemnerem. Moleſtia perpetua eſt, ſed adhuc tolerabilis. Mortem non horreo, tamen optarim mitiorem. Multi ſuadent ſectionem, ſed ſectorem tum demum adhibebo, quum tedebit uiuere. Hic bona ſpes eſt fore, ut Cæſaris autoritas coherceat ſectarum iam nulli ferendam temeritatem. Atque utinam id fiat abſq; graui ſanguinis humani iactura, tum ut uictoria non pontificis & monachorum regno, ſed pietati cedat & Chriſto. Vltionem molimur omnes, uitam emendatiorem nemo. Bene uale patrone magne. D. Cancellario ſalutem plurimam, & pro munere gratiam. Friburgi pridie Calendas Februarias. M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS GERMANO ERIXIO S.

VT silerem ipse fuisti in causa, qui scripseras te longius aliquo secessurum, scripseram tamẽ amicis aliquot, sed literas typographus post quatuor de nicp menses reddidit, ut accipio. Monachus tuus sero uenit, altero iamdu dum excuso. Et in totum uideo nihil a' uobis expectandum hac duntaxat in re, præter συκίνην ἐπικουρίαν, aut Rhesi potius συμμαχίαν. Totum opus exibit ad proximas nundinas autumnales. Res agitur multis prælis. Ex commentarijs in acta uertimus homilias tres, quartam adiecimus, nec est animus addere quicquam, quum certum habeam opus esse νόθον, cuiusmodi sunt & cõmentarij in secundam ad Corinthios, unde nos uertimus homilias decem, reliquas alius quidam uertendas suscepit: homilias in priorem ad Corinthios uertit Franciscus Aretinus, sed infeliciter usq; ad xxx. reliquum alius quidam eruditus absoluit. Commentarios in epistolam ad Romanos docti quidam, ni fallor, uertunt Louanij. Si quid habes præter ista quod excusum non est, mittendum est mature. Exemplar commentariorum in Acta Græcum est quidem apud me, sed onus est graue. Si isthic nanciscipotes, absoluito. Vereq; cura q; primum ut fiam certior, ne per imprudentiam duobus delegetur hæc prouincia. De Card. non satis memini quid scripserim, nisi forte narraui querelam Frobenianorq;, qui toties frustra egerint de priuilegio regis pro Augustino, & ipse rogatus hac de re scripsi Card. Cancellario, & id quoq; frustra. Si quid aliud fuit rei, non memini. Epistolium ad Tussanum re uera missum fuit, sed suspicor à Berquino suppressum, quod ille solet interdum. Nam scripseram & Alberto Pio, eam epistolã festinebatur ipsius opera non esse redditã, quod iudicasset non expedire. Berquinus scripserat ad me carmen esse Lascaris, distichon tantum extremum esse Tussani. Postea quidam homo minime leuis ceu rem compertam scripsit totum carmẽ illius esse. Et tamen me leuiter cõmouit hoc quicquid erat, magis dolebam huiusmodi dissidiorum materiam quæri, non sine graui bonarum literarum iactura. Nam quod idem Tussanus frequẽtius me taxauit in publica professione, de peripsemate, qui locus & à Budæo taxatus est libro ædito, q; feliciter, nunc non disputo, certe torsit mendũ in Suida, in quo legimus κατέχομ τῶμ κακῶμ. quũ sit κατεχόντωμ κακῶμ pro urgentibus malis. Quod idem Tussanus notauit de orci galea, iam pridem à me correctum erat in postrema adagiorũ æditione. Quod taxauit ex Euripide, χ' ὁκείνωμ κρατῶμ νόμος; constat Græcum sermonem esse ancipitem. Et ad hunc sanè locum quũ uerterem, scio me aliquãdiu hæsisse. Nec multo maioris momenti est, quod notauit ex Iphigenia, ἐιμ δ'ε μοι μέτρια & cætera. Id si facit per occasionem & recte, fungitur boni professoris officio. Sin affectate & cõtumeliose, modo recte, magis me delectat auditorum utilitas, q; offendit meæ opinionis detrimentum. Quæ portenta deprehendantur in his quæ uerterunt Itali ex uitis Plutarchi? In his quæ uertit Theodorus Gaza uir sine controuersia summus, multa reprehendit Trapezontius, quæ castigauit admonitus. Id mihi Romæ narrauit qui Gazæ fuit à secretis, tantũ abest, ut existimem me nusq; esse lapsum. Quin & in his quæ uertit Budæus possum aliquot manifestos lapsus ostendere. Sunt qui admoneant excudi isthic aliquot epistolas Budaicas, in quibus traducor ut osor nationis Gallicæ, quum nõ in aliam, ita me bene amet Christus, semper fuerim propensiore studio. Indicant & in commentarijs de phrasi Græcæ linguę subesse morsus aliquot figuratos. At ego suspiciones has omnes reijcio, ut Budæo non minus indignas q; me. Eas qui ferunt, nõ minus male merentur de Budæo quàm de studijs. Fortasse sunt qui cuperent spectare Budæum cum Erasmo commissum. Id per me nunquam fiet, imo' nihil non fiet ne fiat. Iam ut Budæus sit extra omnem inuidiæ suspicionem, tamen non effugiet quin de candoris illius existimatione

stimatione decedat nonnihil. Atque ut totum eruditorum theatrum illi applaudat, sicut optimo iure facit, tamen sunt aliquot, qui & Erasmo bene uelint. Sed mihi placet in studijs cõcordia, candorq;. Quod si quibus uacat digladiari de gloria, per me palmã ferant licet. Ego malim in hoc ut prosim esse facundus. Bene uale. Apud Friburgum Brisgoiæ xxvij. Martij, Anno M. D. XXX.

ERASMVS ROT. CASSANDRO CELLISMARTIALI S. D.

Rlsi uestram concertationem uir candidissime, ut rem paucis expediam, sic eñ cogit ualetudo. De epistola Augustini. lix. nulla est ambiguitas, quin sit ipsius germanissima, nec opus erat ad hoc euincendũ quod Augustinus non fuerit omnino rudis linguæ Græcæ: declarat hoc in categorijs, in psalmis alijsq; multis operibus suis, & ad Hieronymum scribit se contulisse illius emendationes ad Græcos codices. Imo' disputans aduersus Pelagianos, uertit quædam ex Chrysostomo non prorsus infeliciter. Qui potuit, inquies, destitutus præsidio linguarum? In nouissima æditione reperio, Neq; perinde munitus præsidio linguarũ, etiam si non omnino rudis fuit Græcanicæ literaturæ, at non eousq; doctus, ut Græcos interpretes expedite posset euoluere. Fortasse in prima æditione fuit, quod citat clarissimus Cadeti uicecomes, idem tamen est sensus, sed ob calumnioſos dixi explanatius. Præcesserat enim commemoratio Græcorum, & eorum qui pulchre callebant Greçe, pleraq; ex illorum cõmentarijs haurientes. Idem non fecit Augustinus, nisi quod extrema senecta pugnans cũ Pelagianis, coactus est undiq; præsidia contrahere. Itaq; in his quæ scripsit iuuenis, sæpe labitur deceptus latinis exemplaribus, uelut aliquot indico locis, & in postrema æditione de loco ubi negauit Petrus dominum, restitui germanam lectionẽ ex Cyrillo. Quin deuexę iam ætatis probat liberũ arbitrium ex hoc quod subinde legitur in euangelio, Nolite iudicare, nolite iurare, nolite irasci & cętera, quũ illud nolite sit interpretis, & non euangelistæ aut apostoli. Itaq; ut maxime scierit Græce, tamẽ in enarrando raro utitur Græcorum cõmentarijs. Itaq; qui domi habet instrumenta belli, nec his utitur in pręlio, recte diceretur in certamine suis armis destitutus. Augustinus paululũ grãmatices didicerat puer: olim enim utraq; lingua mixtim tradebatur: sed oderat eam linguam adolescens, & abhorrebat à lectione Græcorũ autorum, quod in Confessionibus deplorat senex. Libebat tecum diutissime fabulari, sed tantum licuit per ualetudinem. Superest ut ornatissimo pręsuli Baptistæ episcopo Senecensi, & clarissimo Antonio Aurisonio Cadeti uicecomiti, meis uerbis & gratias agas, & salutẽ dicas reuerenter atq; amanter. Cassander posthac mihi scribetur inter candidos amicos. Bene uale. Friburgi Brisgoiæ v. Calend. April. anno à Christo nato M. D. XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS BAPTISTAE EGNATIO S.

DE Budæo tam male sentio, tam'q; male odi hominem, ut etiamsi palãm in me stringeret calami mucronem, non possim non fauere de studijs tam pręclare merenti. De collatione qua quidam suspicantur illum offensum, mitto epistolam, quæ si tibi satisfecerit, non est opus pluribus uerbis. Quanquam hoc ipsum incõmodum collationis posteriore sublatum est æditione. Mihi quidem nihil minus in animo fuit q; Budæum lædere. Sed in pręsentia de Budæo de'q; Ciceroniano uerbum nõ addam: De miserando ac prope deplorato Christianæ religionis dissidio uideo consentire nostros animos. Id indicat mea ad Vulturium epistola, quam nunc ad te mitto. Nonnullam tamen spem mihi facit Cæsaris non tantum autoritas, potentia, pietas, prudentia, lenitas'que summo digna imperio, uerum etiam genius quidam. Vtinam res citra magnam humani sanguinis effusionem confici

queat, & uictoria denicq; cedat Christo. Diuinat opinor tua prudentia quid indicẽ. Sed mutanda est in melius uita, & numen exorabile flagrãtibus uotis fatigandum. Felicitatem istã mi Egnati sanè dignam istis tuis uirtutibus eximijs tibi magnopere grãtulor: mihi in harena gladiatoria moriendum est, sic meum est fatum. Ego tamẽ uel pertinaci silentio aduersus prouocatores conabor aliquantum ocij parare mihi. Carolus Vtenhouius iuuenis apud suos relauta, & clara gente, non eget admodum opera tua. Si quando dignaberis hominem alloquio tuo, erit aliquod calcar ad studiorũ amorem. Heruagius prædicat humanitatem tuã, oro si quid potes, adiuta ut Chrysostomus exeat plenus. Autor est cũ primis pius, & magnis impendijs res agitur. Ego prẽter laborem nihil meto. Est unde uiuam, gratia superis. Resalutat te Zasius uir priscorum morum, & antiquæ uirtutis rarum exemplar. Rhenanus abest in patria. Henricus Glareanus omnium bonarum disciplinarum perpetuus altor, huc nobiscum demigrauit, cum Basileæ nouarentur omnia. Is hic profitetur publico salario, quem opinor tibi non ignotum esse. Vale. Datum Friburgi Brisgoiæ pridie Calend. April. Anno à Christo nato M.D.XXX.

ERASMVS ROTERODAMVS IOANNI ALEXANDRO BRASSICANO IVRECONSVLTO S.

Libellus adagiorum sine literis tuis pridem redditus, mihi fuit magnopere gratus, gratissima fuit & epistola quã reddidit famulus tuus, nisi quod iocandi de mortuis et uiuis ibi nullum facis modum. Non hoc in Ciceroniano fuisceperam omnes referre qui scriptis innotuissent: alioqui quis fuisset uoluminis modus, aut quid omnino fuisset ineptius? Tui me admonuit Vrsinus, sed sero. Nec tui quicq; uideram præter uersiculos aliquot. De te uero iam annis aliquot nihil inaudieram. Absit ut omnes mortui sint, qui illic non recensentur. Præteritus est Beatus Rhenanus, præteritus Bonifacius Amerbachius, cuius phrasis mea sententia non ita multum cedit Politianicæ. Scio te iocari, sed per totam epistolam eius ioci non potes obliuisci, quæ res nonnullam stomachi significationẽ præbet. Atqui non pertexui, ut modo dicebam, catalogum scriptorum, in quo tamen si quis esset præteritus, ignorantiæ potius aut obliuioni dandum erat, q̃ maleuolentiæ. Saluianum mihi tuus famulus non exhibuit, quum tamen Frobenius ea in re nihil facturus sit nisi ex meo iudicio. Maiorem in modũ gratulor tibi mi Brassicane, qui tam feliciter in utriusq; literaturæ peritia progressus sis. Nam Græca bona fide, nec sine dignitate reddis, neq; quicq; est in tota phrasi quod offendat legentem. Illud operę mihi uideris propemodũ frustra sumpsisse, quod in præfatione deprecatis culpã, qui post me tractaris prouerbia. Quis enim unq; tam iniquus fuit, ut cuiquam legem præscriberet, ne tractaret argumẽtum ab alio tractatũ? Quanto igitur sit iniquius idem præscribere in hoc argumento, quod suapte natura infinitum est, præsertim quum quotidie prosiliant utriusq; linguæ scriptores hactenus sepulti? Cæterum quod addis me post alios scripsisse prouerbia, si de Grẽcis loqueris non inficior. Nemo tamẽ Latinorum attigit hoc argumentũ ante me. Et utinam extarent Græcorum monumenta, qui tractarunt paroemiologias. Mihi primũ aggredienti nihil erat à Græcis subsidij, prẽter Diogeniani commentaria manu descripta, sed tum mutila, tum mire deprauata. Post nactus sum Zenobij collectanea, nõ multo feliciora. Nã quod Polydorus contendit uideri prior, manifesto ludit, quũ ipsi ostẽderim æditionem meã primam ante cessisse primam illius tribus mensibus, quum id temporis neuter alteri cognitus esset. Optarim autem charissime Brassicane, ut meas etiam Chiliadas superes, & Erasmi nomen obscures. Refers tamẽ aliquot ceu noua quæ sunt in meis, uelut illud: Si tibi molestum & mihi iucundũ est: recensetur à me Chiliad. II. centur. I. prouerb.

prouerb.xxxiij.Item illud,Echinus parturiens,est Chiliad.II.centur.IIII.prouerb. lxxxij. Tunc canent cygni & cætera,extat Chiliad.III.centu.III.prouerb.lxxxxvij. Sunt & alia quæ obiter citantur in meis Chiliadibus. Non hæc commemoro ut te à pulcherrimo instituto deterream,amicorũ cõmunia sunt omnia: sed ut aliorum uites calumniam. Velio non scribo, parũ alacri ualetudine. Eum meis uerbis salutato tum amanter tum reuerenter, & si qui sunt alij qui nobis non male cupiunt. Datum apud Friburgum Brisgoiæ prid. Nonas April. a' Christo nato M.D.XXX.

ERAS. ROT. CONRADO HERBIPOLENSIS ECCLESIAE EPISCOPO ET ORIENTALIS FRANCIAE DVCI S. D.

QVoniam ut accipio non infeliciter cessit audacia mea, quod Celsitudinem tuam per R.D. Marium appellarim, non sum ueritus idem nunc facere, præsertim nactus tam cõmodum latorem, ut commodiorem optare non possim, Danielem Stibarum, qui cum mihi quondam Basileę, nunc etiam Friburgi menses aliquot domestica fuit consuetudo, & quod olim in præcipua amicitię parte ponebatur, mensa cõmunis nos aliquandiu iunxit. Nec antehac unq; expertus sum quenq; sanctioribus, purioribus, aut cõmodioribus moribus iuuenem. Itaq; quẽadmodum unius conuictus ad omne, uel studiorum, uel molestiarum, uel senij tædiũ abunde magno solatio, ita discessus illius mihi fuit tristissimus: quem tamen hoc nomine fero moderatius, quod suo bono reuocatur in patriã. Isti celeberrimo collegio non possum non uehementer gratulari, tot egregijs animi dotibus ornatũ contubernalem, cui si liberum esset unum adhuc aut alterũ annum honestissimarũ disciplinarum studio dare, tanto plus & decoris & utilitatis adferret quum suo collegio tum tuæ R. Celsitudini, erga quam sicuti par est, & amanter & reuerenter affectus est. Non sumam operam in eo tibi cõmendando, neq; enim quisquã cõmendat eximias gemmas diuitiarũ admiratori, ita uirtus insignis apud tam egregiũ probitatis amatorem nõ eget cõmendatione. Ostendisse modo, commendasse est. Si quid erit in quo nostra opella possit amplitudini tuæ gratũ facere, senties eam ad omnia iussa paratissimam. Dominus E.A.T. seruet incolumem. Datum apud Friburgum Brisgoiæ postrid. Calend. April. Anno a' Christo nato M.D.XXX.

ERAS. ROT. CHRISTOPHORO A CARLEVVITZ S.

ERras mi Carleuuici, si putas Erasmo quicq; tuis literis esse gratius. Gaudeo te productum in istud theatrum orbis amplissimũ, in quo possis eruditionis ac prudentiæ tuę specimẽ tot heroibus ædere. De amico illo meo, qui salutari atq; adeo' necessaria, ut scribis sententia, sibi nonnihil conflauit inuidiæ, cuius maxima pars in me recidat, doleo sane'. Toties prouocor ut impartiam meum consilium sarciendæ concordiæ, hoc præmium est, si quis quid ęqui dixerit. Fuit ille quidem hic apud me, collocutus mecum horis ferme' tribus, sed de ea sententia uerbum inter nos nullum fuit, ne in literis quidem. τοῦ κύκλωπος patrocinium nõ admodum moror, uereor ne plus officiat q; iuuet imperitus & intempestiuus propugnator. Scripsi principi tuo per canonicum Basiliensem à Rina: ubi rursus inciderit scribendi opportunitas, faciam & libenter & diligẽter quod admones. Fac mi Carleuuici, ut me frequenter tuis interpelles literis. Precor ut aula tibi sit felix. Datum Friburgi Brisgoiæ vij. die Iulij. M.D.XXX.

ERAS. ROT. CLARISS. CARPORVM PRINCIPI ALBERTO S.

VT libellus tuus mihi redditus est Alberte princeps clarissime, protinus ceperam responsionis nescio quid σχεδιάζεσθαι: sed interim Romæ ruentis fragor

fragor animos omnium perculit, de te uarius rumor ferebatur: & si maxime constitisset, ubi locorum ageres, nullum erat iter epistolis peruium. Nuper ex amicorũ literis accepi te apud regem Christianissimũ legatione fungi, eum q̃ libellũ per multorum manus circumferri, minimũ q̃ abfuisse quin fuerit per typographos euulgatus. Id ipse iamdudum curaturus fueram, si quos forte, uel tui nominis autoritas, uel disputationis æquitas, uel dictionis suauitas ad meliorẽ mentem incantare posset, ni tam atrociter, tam q̃ pertinaciter me urgeres. Cum enim capitale sit quod intendis, non magni refert quanta sit orationis ciuilitas, ueluti si cui princeps honorifico sermone mortem denunciet. Atq; utinam in eum campum me prouocasses, in quo licuisset solo ingenij aut eloquentiæ periculo tecũ congredi. Satis magnam gloriam duxissem, cum Alberto certasse, etiam si uictus discederem. Nũc talem causam impingis, ut si obticescam, capitale crimen agnoscam: sin respondeam, primum uix id queam sine tuo dolore, deinde rursus camarinam moueam, quã satius erat non tangere, rebus alioqui plus satis undiq; exulceratis. Quod superest moneo, ne præcipites æditionem libelli: aut si non uis istuc operæ perdere, mitiga partem qua mecum agis. Si hic γραμματοφόρος uel triduo priusq̃ abiret mihi denunciasset, relicto libello tuo misissem responsionẽ meam, Verum id faciam breui per alium, si quis certus occurrerit. Ea lecta statues pro tua prudentia quod iudicabis in rem utriusq; fore. Vix quicq̃ tutum est literis cõmittere. Verum si uel coram daretur colloqui, uel in his regionibus ageres tu, aut omnino me fallit mea de te existimatio, aut Erasmum tuo fauore subleuandum putares potius, q̃ aliorum recinendis calumnijs grauandum. Bene uale. Datum Basileæ x. Calend. Ianu. Anno M.D.XXVIII.

IVLIVS PFLVG ERASMO ROTERODAMO S.

VErum id esse sentio, quod ueteres magna autoritate statuerunt, uirtutes omnes ita coniunctas esse inter se, ut uno societatis uinculo cõtineantur: quippe cum tu, qui eruditorum omnium longe es princeps (sic enim iudico) idem etiam humanitate omnes superes: quæ etsi antehac mihi incognita nõ fuit, ex literis tamẽ tuis quas proxime accepi, illustrius nescio quo modo apparuit. Eam si me ita ut & res & officiũ meum postulat, prædicare posse confidam, arrogans sim. Quàm uero me ista ipsa beneuolẽtia tua deuinxeris tibi, malo istud re, q̃ uerbis declarara. Iam uero si quod secutus sum in negocio quod nosti, ut ocium haberes ætati dignitati q̃ tuæ aptum, id effecissem, incredibili uoluptate afficerer. Verum ut ut cadat, conscientia tamen rectæ uoluntatis meę, & benignitate tua qua conatum nostrum æqui boni q̃ facis, me consolabor. Te uero multum amo, quod librum mihi tuum misisti, quem ego ita amplector, ut debeo munus à tanto uiro profectũ: quã quam doleo tibi negocium exhiberi à nescio quibus, & honestiss. senectutem tuam à studijs quietis ad certamen tale auocari. Vellem equidem q̃ bene meritus es de genere hominum (es autem meritus optime) tam tu fructum ex officijs gratorum, quę iure quodã tuo repetere potes, perciperes. Sed quid facias? Ita ferunt tempora quieti ac uirtuti inimica, ut citius inuenias qui exagitet, q̃ qui ex animo faueat. Sunt tamen nõ parũ multi, ij q̃ boni ac præstantes uiri, qui beneficia tua agnoscũt, ac uirtuti tuæ uerum & iustum fructum tribuendum putant. Hi cum te & colant & amẽt unice, poteris tu quidem in eorum amicitia ita conquiescere, ut sermones inuidorum facile contemnas. Quod ut facias, & omnes boni hoc tempore optant maxime, & ipsa certe Resp. Christiana, si loqui posset, clara uoce flagitaret. Etenim si antehac unq̃, nunc profecto Resp. eam operam tuam desiderat. Ad hanc tibi animus quietus, & omni perturbatione uacuus est afferendus, ut quo publica commoda te uocant, eo toto pectore incumbas. Vides enim quorsum reciderint omnia. Timẽdum est profe-

est profecto, nisi existant sapientes ac boni uiri, qui Reip. languenti medicinam faciant, fore, ut ea funditus euertatur. In te autem unũ omnium eorum, qui pacem expetunt, oculi sunt cõiecti. Eam nanq; cum autoritatem, tum uero etiam facultatem deus immortalis tibi adiunxit, ut possis unus ex omnib. maxime malis istis mederi, id q; consequi, ut persuadeant sibi principes nostri, cõtrouersiam de religione tolli posse, uel deo ipso applaudente, si quæ ex sanctionibus ecclesiæ mutari possunt, ea relaxentur, atq; ita existiment leges instituta q; hominũ ex tempestate ecclesiæ moderari oportere. Quod si abs te fieret, fortasse ex altera parte permoueri posset bonus aliquis & a' cõcordia Christiana nõ abhorrens, qualis est Melanchthõ, qui suas quoq; partes interponeret, autor'q; esset suis, ut statuerent multa, quæ per se ferenda non sint, temporum causa esse ferenda. Quibus diuus etiam Paulus cesserit, cum se abjiceret ad ritus nescio quos, contra q; libertas Christiana postularet. Ista si persuaderentur utrinq;, certe quæ perturbata nunc est Resp. uehementer ea breui partibus de ardore isto suo remittentibus, cõstitueretur. Tu igitur cum uideas tempus illud ipsum uenisse, cum in procuranda tranquillitate studiũ tuum erga Remp. extare atq; elucere possit maxime, fac queso, ut cum nos ad pietatẽ & studia rectiss. excitaris, pacem etiam nostrã, sine qua illa coli haud possunt, tueare. Atq; hæc scripsi non inflãmandi tui causa: es enim tua spõte ad rationem illam & optima quæq; satis incitatus: sed quod amore cũ patriæ, tum uero etiam religionis huc adducebar. Q d reliquũ est, etsi non eges ulla apud principem meum cõmendatione: tam enim ille fauet tibi, q; qui maxime: parebo tamen uoluntati tuæ, duplicem ex ea re capturus fructum, alterũ quidem ut tibi, qui mihi es in maioribus, morem geram: alterum uero, ut cum princeps meus intelligat me esse amantem tui, quoniam omnes suos tecũ uult esse coniunctos, accessio fiat haud parua ad pristinam illius erga me clementiã. Quam uero rationẽ colendæ amicitiæ præscribis, eam persequar, perficiam'q; ut ne meum in scribendo officium requiras. Andream à Conritz tua cõmendatione motus ita complectar, ut intelligat ea re ad ueterem, quem in eum habeo, amorem multum accessisse. Vale Lipsiæ IIII. Idus Maij Anno M.D.XXXI.

ERAS. ROT. ORNATISS. DOCTORI IVLIO PFLVG S.

AD istam beatissimam uirtutum catenam, quam mihi tuus candor tribuit uir incomparabilis, nihil habeo quod respondeã, nisi μάλα λακωνικῶς, o' si. Nec uideo quam hic humanitatis laudem promerear, simpliciter inhumanus futurus, si ex euentu, qui fortunæ non nobis in manu est, amicorum æstimem officia. Quod tibi uenit usu, euenit omnibus qui simile quiddam tentarunt, & euenturum sciebam. Fruatur ille sua gloria, qua una decreuit fieri celebris, quando remedia quoq; cedunt in diuersum. Quemcunq; doctum aut probum sentit mihi esse notum, eum ultro adit, testificans sese cupere sartam amicitiam cũ Erasmo, ut ob hoc ipsum uideatur alicuius precij, quod simultatem habeat cum Erasmo. Si ille haberet ullum pilum hominis ad concordiã propensi, iamdudum ab hoc nugamento nobis esset quies. Nam ut cum talibus simultatem exercere nolim, ita nec gratiarũ fœdere uelim astringi. Sed inter tot portenta hoc quoq; mihi perferendum est. Optarim tamen posthac nomen illud inauspicatum à tuis literis prorsus abesse, quibus ut ipse summopere delector, ita libenter eas doctis amicis ostendere soleo, quo mihi uoluptatem quam ex illis maximã capere soleo, subinde renouem. Fateor uix unq; fuisse seculum hoc furiosius, dicas sexcentas Erinnys ab orco prouolasse, adeo' nulla pars neq; prophani status, neq; ecclesiastici sana est: prorsus fatale malũ est, cui ne synodo quidẽ οἰκουμενικῇ uideo medicinam adferri posse, tantũ abest, ut ipse qui nihil sum opitulari possim, licet tu mirificam quandam opinionem de me cõcepisse uidearis.

De pontificis

De pontificis animo mihi non liquet, sed tamen uideo quosdam sacerdotes huc spectare, ut quoniam incendijs hactenus parum profectum est, ferro rem gerant. Hoc an expediat nec ne, etiam si nobis sit ocium a' Turca, nõdum statui. Sanabilius esset malum, si utriusq; status monarchæ synceris animis consentiant ad instaurandam euangelicam pietatem. Tum res cõmittatur centum aut quinquaginta uiris, ex singula quaq; natione delectis, quos & uitæ sanctitas, & eruditio singularis, & iudicij dexteritas cõmendet. Horum suffragia per pauciores selectos redigerentur in compendium. Theologorũ placita uersarentur intra scholarum parietes, nec quælibet opiniones haberentur pro articulis fidei. Cõstitutiones quædã abrogarentur, quædam uerterentur in exhortationes. Esset autem illa cura præcipua principum ac ciuitatum, ut hi gregi dominico præficerentur, qui uerbo dei sunt instructi, exercitati'q; ad erudiendum, ad exhortandum, ad consolandum, ad increpandum, ad confutandum. Nunc quos satrapas alunt monasteriorũ aut ecclesiarum reditus: populus interim per omnes sectas fluctuat, uelut oues dissectæ ac pastore destitutæ: quanq; hic quoq;, proh dolor, paucas uideas oues, hoc est, qui simpliciter errent, ac non potius obstinata malicia peccẽt. Vereor ne nobis eueniat, quod solet in bellis, ubi pars utraque saturata est calamitatibus, tum demum incipiunt agitare de fœdere. Altera pars statum ecclesiasticũ prorsus sublatum tendit, altera correctiorem esse nõ uult. Omnes mundum in pectore gerimus, & ut terreni sumus, ita terrena sapimus ac loquimur: utinam dominus & his & illis inserat cor nouum. Sunt alia quæ non est tutum literis cõmittere, tum eius generis, ut optare liceat citius q; sperare. Ego fessus non tam ætate, q; ualetudine, q; tot rixis, tot iurgijs, tot calumnijs, tot oblatrationibus, iam dudũ cogito me in ocium recipere: quod tamen ab animo meo petam necesse est, hoc est, ut quod tu prudenter simul & amanter suades, secundũ Christum, & rectæ uoluntatis conscientiam, in bonorum uirorum iudicio conquiescam. Fata uiam inuenient, spero'q; hos omnes ecclesiæ tumultus tandem in bonam catastrophã exituros, artificio summi illius choragi, cuius inscrutabili consilio res hominũ temperantur. Id si me superstite contingat, æquo animo dicam, ualete & plaudite. Sin hoc nõ promeremur, dominus est, faciat quod ipsius æterna uoluntas decreuit. Aequum est nos pro optimo ducere, quicquid ille statuit, quo nihil esse potest melius. Exijt ingens uolumen Alberti Pij, quondam Carporum principis, post exulis apud Gallos, deinde sycophantæ, postremo Franciscani. Nam sacrosanctam illam uestem induit triduo priusq; moreretur. Sic mecum agit, quasi ego damnem omnia quæ facit, docet'ue ecclesia, nec puduit hominem principem, senem, ac diutina ualetudine moribundũ, denicq; iam Seraphico sodalitio destinatum, manifestis mendacijs proximo capitalem struere calumniam. Quanq; hoc illi cõmune est cum omnibus fere', qui stili mucronem in me stringunt: permittũt sibi, ut multa impudentissime mentiantur, quũ se profiteantur ueritatis defensores, quasi possit ignem ignis restinguere. Non eram illi responsurus, nisi me uehementer grauaret, primũ autoris celebritas, ad hæc liber Lutetiæ æditus, postremo fœdus cum gente Seraphica. Respondi tamẽ, sed perpaucis: & copiosius & acrius responsurus, ni uir in medio opere reliquisset terras. Porro' Dominicanum theologũ Louaniẽsem, nullo dignabor responso, qui sic scripsit, ut non alia ratione magis potuerit se pueris ridiculũ, doctis ac bonis oñibus inuisum reddere, denicq; suo ordini Cherubico labem quouis atramento sutorio tenaciorem imprimere. Neminẽ adhuc reperi stomachi tam patientis, quem exorare ualuerim, ut libellum licet perq; exiguũ perlegeret. Ipse ter'q; quater'q; tẽtaui, oborta nausea coactus sum reijcere. Nec hoc ignorari uoluit homo φιλαυτότατος, ipsum esse theologũ Louanienſem, quo nomine scio illi pessimã haberi gratiam ab eius Gymnasij theologis. Nec his contentus, tam ridiculas, tam insulsas, tam prodigiose

tam prodigiose fatuas nænias nominatim dedicauit omnibus ornamentis illustrissimo principi Cardinali Leodiensi. Si forte libet argumenti summam cognoscere, Assumit omnes eloquẽtes esse hæreticos, & ex quinto canone Enchiridij docet me citra discrimen omnes damnare ceremonias, quum tamen pietas sit deum externis quoq; ritibus adorare. Ad hæc, quando monachorum uita magna ex parte constat ceremonijs, me in totum tot uenerandas monachorũ et monacharum formas semel improbare. Alicubi stultissime colligit, me longe superare Luteranam impietatem, nec ulla frons adest in mentiendo. Sed inter omnia nihil existimat esse magis impiũ, q̃ quod sub Enchiridij finem admoneo expedire, ne quis adamãtinis illis uotorum uinculis illigetur ante annum trigesimum. Proinde minatur ni reuocem iuuentutem, talibus dictis auersam à tam sancto contubernio, quod gignit tales ecclesiæ doctores, se prẽstaturum quod debetur pietati. Si totum hoc hominum genus cupiam funditus extinctum, quid potius optarem ab illis fieri, q̃ ut ad istum modum traducant sese cum fide? Nam mihi nullus erat crediturus, tam crassa capita illic inter Cherubicos haberi pro magnis theologis. Ante aliquot annos ex eadem officina prodierat libellus, complurium Cherubicorum opera confectus, quo ne fingi quidem potuit quicq̃ uanius, insulsius, indoctius, aut insanius. Nec illos pudet talium stratagematum, tantus est ingeniorum stupor, tam q̃ cæca φιλαυτία. Quo pacto subsisteret ecclesia Christi, nisi talibus columnis fulciretur? Iam ad eam epistolæ tuæ partem, in qua me magna piæ mentis significatione, summa prudentia, parĩ q̃ facundia hortaris, ut in his inexplicabilibus ecclesię dissidijs sequestri personam suscipiam, arbitror bona ex parte responsum esse. Cætera sapienter, in hoc uno uehementer hallucinaris, quod mihi facultatem tam arduo negocio parem adesse credis. Si mediocris adfuisset, haud quaq̃ mi luli cessassem, quanq̃ non omnino cessaui. In ipsa statim fabulæ protasi autor fui, ut res inter eruditos moderatis rationibus ageretur. At sanctissimis monachis uisum longe consultius, ut incendijs disputaretur. Tentaui per literas Cæsaris & Cancellarij Gattinarij animũ, si paterentur arcanis epistolis dari liberum consilium. Responsum est ad cætera, ad hoc nequaq̃. Adrianus fauebat scholasticis disciplinis, nec mirum si illis fauebat, in quibus à teneris unguiculis educatus longo interuallo præcedebat omnes: sed ita fauebat tum, ut apud eum prima esset pietatis ratio, satis etiam æquus & candidus erga bonas literas ac linguas. Romano Pontifici plurimũ tribuebat, indicant hoc illius cõmentarij in quartum librũ sententiarũ: eaq̃ res, ni fallor, effecit, ut à Leone septimo in Cardinaliũ ordinem cooptaret, mox etiam ad triplicem coronã euectus. Sed tamen si licuisset illi in cathedra Petri sedere decem annos, haberemus illam urbem, ni fallor, aliquãto puriorẽ. Huic per certum hominem significaui, me libenter cõmunicaturũ quod uideretur, modo liceret impune. Exegit ut id facerem breui, quod arbitror tibi lectum esse. Nõ offensus est, sed tamen nõ respondit. Vnde facile diuinaui nõ idem illi placuisse, quod mihi uidebat expedire. Præterea si leges meas epistolas quũ alias aliquot, tũ nominatim illam ad Vulturiũ, intelliges me subindicasse remedia quædã his tumultibus sedandis, ut mihi quidẽ uisum est, nõ inutilia. Quam interim hoc officio gratiã, testis est liber, imò libelli aliquot, quos protinus iaculati sunt in caput meũ utrinq̃. Philippus Melanchthon præter insignem eruditionẽ & raram eloquentiã, habet gratiam quandã fatalem, quam genio suo debet potius q̃ ingenio, ut quũ sit omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem habeat quenq̃ cui sit admodũ exosus. Is Augustæ sedulo tantauit, quod tu suades: ubi si per morbum licuisset adesse, lubens meũ qualecunq̃ studiũ cum illius opera cõiunxissem. Sed quid ille profecerit, obscurũ nõ est. Erant tũ illic, qui quosdã integerrimos nec extremæ dignitatis uiros clamarẽt hereticos, non ob aliud, nisi quod aliquoties cũ Melanchthone miscuissent colloquium:

quid dicturi, si Erasmus crebro cum illo contulisset? Id enim erat necesse. Iam finge à nobis duobus excogitatas rationes componẽdi dissidij, quid ageremus, si utriusq; partes, neq; proceres, neq; populus reciperent quod proposuissemus? Apud Coloniam Agrippinam, quũ pestis hæc nondum huc usq; incruduisset, prodijt consilium quoddam indicans moderatas aliquot rationes sedandę tempestatis, incolumi etiam pontificis ac theologorũ autoritate. Adeò receptum non est, ut me propemodum oppresserit suspicio, haud alio nitens argumento, q̃ quod sermo esset paulo latinior. Quid si nobis eueniat, quod euenit monacho cuidam Ioanni, ni fallor, cuius meminit historia tripertita? Is ut erat rerum ciuiliũ rudis, ut ruri ęducatus, quũ forte fortuna pertractus in theatrum, uideret duos gladiatores inter se congredi, uir pius insilijt in mediũ, clamans, quid agitis fratres, quur in mutuam cædem sine causa ruitis? Quid multa? Dũ dirimit gladiatores, ipse gladijs interemptus est. Nec ea res illi soli accidit, cõpluribus alijs usu uenit, qui capitales hostes dirimere conantur: cuiusmodi certamen erat inter Hectorem & Achillem, quos sola mors dirimere potuit. Nam quidam sic pugnant, ut optent diremptorẽ. Illustrissimi principis clementissimũ erga me fauorem qui potui nescire, toties eum expertus? Sed nihilo secius iucundum fuit, id tua tam alacri testificatione cõfirmari. Nec tamen exigo cõmendationis officium, nisi si quando sese cõmoda obtulerit opportunitas. Hoc baccare non esset opus, nisi tot essent ubiq; nocentes linguæ. Illud incredibili cum uoluptate legi, principem hoc esse animo, ut omnes suos mecũ uelit esse coniunctos. Cæterũ quod addis, si intelligat te esse nostri studiosum, fore ut ad pristinũ illius in te fauorẽ accessio haud parua fiat: quis neget omnino candidissime esse dictum? Vtinam & uere. Eximias ingenij tui dotes dux hoc seculo longe omniũ cordatissimus non perspicit modo, uerum etiam suspicit, ob quas te non solum amat unice, sed ueneratur quoq;, qđ satis indicant illius literę tui q̃ honorificentissime mentionẽ facientes: Simoni Pistorio collegę tuo tui q; simillimo quęso ut meis uerbis salutem dicas, & quidem de nota meliore. Cui nunc nõ scribo, non quod frigidius amem, sed quum nõ esset argumentum scribendi, nolui ἐνοχλεῖν occupatissimo. Quanq̃ autem tuæ literæ plurimũ adferunt solatij, tamen nolim te uel hoc officio grauari. Andream Conritz mea cõmendatione tibi factũ ex amico amiciorem, magnopere tum gaudeo, tum gratiam etiam habeo. Porrò quando feliciter cedit mea in petendo audacia, unum quiddam adhuc abs te petam, ut mihi literis tuis significes, quare principi quum optimo, tum optime de me merito queam gratificari. Ipse uiri molles aditq; & tẽpora nosti, eius q; sensum pulchre calles, quippe familiariter cum eo uersans. Vale. Apud Friburgum Brisgoiæ xiij. Calend. Septemb. M. D. XXXI.

ERASMVS ROTEROD. VDALRICHO HVTTENO S.

HEn. Epphendorpius nostri nõ instudiosus, certe tui amantissimus subindicauit mihi te nõ satis amico in me animo esse, adeò ut nescio quid mordacioris scripti mediteris. Quod ego sanè eò magis sum admiratus, quod de meo in te animo, quem hactenus in te gessi, ut si in quenq; alium amantissimum, nihil adhuc immutarim, etiamsi pristinam familiaritatem nobis inuidit ad tempus fortuna: nec dedignatus sum te alloquio quum hic adesses, sed humanissimis uerbis per Epphendorpium rogaui ut abstineres, si tantum esset salutatio, propter inuidiam qua grauatus sum iam diu usq; ad capitis periculum. Quod autem consilium est lucrifacere inuidiam, quum nihil profis amico? Ego te mi Huttene in tali statu si fuissem Huttenus, ultro rogassem Erasmum, ne sibi frustra accerseret odium. Ettamen admonui Epphendorpiũ, si posses abesse ab hypocaustis, quæ ego nullo pacto ferre possum, mihi nõ ingratum fore tuum colloquium. Fortasse non sunt mea in te

officia, quę cõmemorem, & si qua essent, ineptum sit ea à me cõmemorari. Hoc possum uere prædicare, me ueteris beneuolentiæ semper fuisse tenacissimum. Nec unq̃ Huttenum à me uel dicto uel facto fuisse læsum. Ego sum huius animi, ut tantã amicitiam, quantam inter nos conciliarunt bonę literæ, uix etiam parricidium dirimere debeat. Sunt fortasse qui te instigent in me, hoc agentes ut tuo stilo abutãtur ad animi sui saturandum odium. Quod si feceris, illud scito, primũ facies in immerentem, non enim dicam bene meritũ, certe in tibi bene uolentem: deinde rem facies Iacobo Hoechstrato, Nicolao Egmõdano, alijs'q; compluribus, quos tu pro summis hostibus ducis, longe gratissimã, cæterum summopere molestã bonarum literarũ cultoribus, quorum te profiteris propugnatorem. Quomodo repubescent illa portenta, si senserint Huttenũ, illam sic adamatã Erasmo ingenij uænam, illum toties prædicatum Erasmo stilum, in Erasmum stringere? Quare fuerit hoc tuę prudentiæ, priusq̃ tollantur signa, priusq; rauco crepent cornua cantu, priusq; tuba terribilem bello sonitum taratantara dicat, ueluti missis patre patrato ac feciale, secretis literis ad me libere & amice perscribere, quid de me tibi delatum sit, aut quid omnino sit q̃d exulceret animũ tuum. Nam ipse, ita me deus bene amet, non possum diuinare. Non dubito quin tibi per omnia sim satisfacturus, nisi prorsus alius esse cœpisti q; olim fueris. Vtinam mi Huttene nõ haberes alios hostes q; Erasmum. Vtinam haberes quicquid hic inimicus tibi optat, puta hoc tibi de tripode dictum. Iam si te ab instituto reuocare non potest, nec ueteris amicitię religio, nec studiorum cõmunium ratio, nec hostium uoluptas, cogita hoc non mediocriter ad tuam quoq; existimationem pertinere. Quis enim nõ desideraturus est humanitatem & genere & literis dignam in Hutteno, si nulla lacessitus iniuria ferrum letali ueneno tinctũ stringat in amicum? Nec fortasse defuturi sunt, qui perpendentes quo in statu res tuæ sunt in præsentia, suspicentur istis artibus prædam undecunq; peti, & periculum est ne apud multos hæreat coniectura, nimirũ in profugum, obæratum, & ad extremã rerum omnium inopiam redactũ. Non es ignarus, quæ fabulæ uulgo de te ferantur, neq; nescis quã obrẽ tibi succenseat, quid q; tibi minitetur comes Palatinus, qui de famulo tuo sumpsit capitis supplicium. Proinde nolim interpreteris hanc meam admonitionem uel à metu, uel à mala conscientia proficisci potiusq; ab amore tui, me q; nunc meũ negocium agere magis q; tuum. Vt odiosissime scribas, primũ nec horum malorũ insolentem impetes, nec omnino mutũ. Deinde ut obticescam, tamen grauius lęseris tuã ipsius existimationẽ q; meam. Quare etiam atq; etiam uide mi Huttene, ut hic tuam prudentiam in consilium adhibeas, potiusq; obsequare leuissimorũ hominum cupiditati. Bene uale. Basileæ in die parasceues M.D.XXVII.

Expecto tuam expostulationem.

ERAS. ROT. ALFONSO VERVESIO VLMETANO BENEDICTINO THEOLOGO EXIMIO S.

ET si nulla epistola uenit à meo Veruesio, quæ non sit gratissima, tamẽ nulla uenit gratior hac postrema, quam Guidoni Morillono tradidisti. Perlata est autem serius, ne tu id nescias, si quidem scripta xiij. Calen. Septembris anno M. D. XXX. reddita est circiter Calen. Augusti anno M.D.XXXI. Quanquam hic nihil incusandum arbitror Morillonum, licet à morando cognomen uideatur sortitus, & alioqui mirus callipides, ut qui totos sex annos adornans iter, uix tandem Hispaniam potuerit relinquere. Sed longum est iter ab Hispanijs in Flandriam, rursus è Flandria Friburgum, ut felicitatis sit, si quę huc uel sero perferãtur. Hæc partim eò cõmemoro, ne quid meam in respondendo tarditatem incusses. Nam fieri potest, ut hæ literæ diutius etiam hæreant in itinere: Partim ne consolationem

lationem quam à me flagitas, expectes. Verum est quod scripsit Cicero, seram gratulationem non solere reprehendi, sed sera consolatione nihil potest esse frigidius. Quum enim nihil addubitem, quin isti uulneri ꝙ acerbissimo, quod ex optimi fratris Hieronymi Veruesij decessu accepisti, iamdudum si minus ratio, quod arbitror maxime, certe tempus ipsum medicamen attulerit, ac cicatricem obduxerit: frigidū officium fuerit adhibere pharmacum, inhumanum refricare quod dolere desierit. Quod si crudum etiamnum ac recens sit uulnus, tamen ita mihi depinxisti uirum illum, ut magis libeat gratulari felicitati tuæ, qui talem habueris germanum, ꝙ consolari mœrentem qui talem amiseris. Quanquam hoc amittendi uerbum, oportet in totum à Christianorum sermonibus esse sublatum. Qua enim fronte tibi dicatur amissus, qui præcessit in patriam cœlestem mox sequuturum? Dimissum aut præmissum recte dixeris, amissum nequaquam. Rursum quū mecum reputo, quot nominibus ille tibi germanus fuerit, ex ijsdem prognatus, idem monasticæ pietatis institutum professus, in eodem monasterio sub eodem magistro religionis enutritus, ijsdem literis ac disciplinis eadem in schola eruditus, sanctissimo muneri docẽdi populum pariter addictus, in eo'ꝙ simili feruore simul & fructu uersatus, denique tam omnibus & corporis notis & animi dotibus atꝙ etiam ipso dicendi genere tui similis, ut quibus nondum cognitum esset esse duos Veruesios, frequenter ambigerent, utrum audissent concionantẽ, Alfonsum an Hieronymũ. Si recte prouerbio uetere dictum est, τὸ ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, facile diuino, quanta pietate tam admirabilis rerum omnium similitudo uos inter uos conciliarit. Deinde quanꝙ scio te in Christiana philosophia iam olim sedulo feliciter'ꝙ uersatum, ut periculum nõ sit ne quis casus humanus tuum animum à recto statu deijciat: tamen ut hunc thesaurum adhuc circumferimus in uasis fictilibus, facile diuino quam acerbam plagam naturę sensus pectori tuo inflixerit: quam tamen nunc arbitror quum ipso tempore, quod malis etiam immedicabilibus mederi solet, tũ multo magis ratione pietate'ꝙ iamdudum aut sanatum, aut ita mitigatũ, ut ex optimi fratris recordatione, multo plus spiritualis gaudij sentias, ꝙ ex defuncti desiderio molestiæ. Quid autẽ referebat diutius uixisse, posteaquam consummatus in breui expleuit tempora multa? Diu uixit, qui paucis licet annis multa talenta Christo lucrifecit. Quũ in cæteris omnibus mi Veruesi, tum in hoc præcipue suspicio fratrem tuum, quod tametsi nec Seraphicus fuit nec Cherubicus (nam his cognomentis illi gaudent appellari) sed ex posteritate dui Benedicti: tamen omne studium ad hoc munus contulit, quo non aliud uel magis apostolicum, uel Christo gratius, uel gregi Christi salubrius. Benedictus pios agricolas instituit, tuus Hieronymus maluit in uinea domini laborare, pro'que uomere, marra, ligone, rastro & sarculo, lingua per spiritum erudita, ex animis hominũ reuellere persuasiones impias, dissipare carnales affectus, inserere pietatis euangelicæ plantaria, copiosum'ꝙ fructum conuehere in horrea domini, cuius se sciebat esse colonum. Nam hoc uerissime scribis mi Veruesi, magnam ubique turbam esse eorum, qui concionantur apud populum, sed iuxta uetustum prouerbium, πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι, hoc est, pauci Christianam philosophiã pure syncere'que docent. Prima igitur Hieronymi laus est, quod ad munus omnium sanctissimum semet affatim instruxit, altera quod seipsum non ingessit, sed expectauit, donec exemplo Pauli uocaretur à deo. Vocatum interpretor, qui iussu abbatis, qui flagitante populo, cuius uox, uox dei est, qui precibus laudatissimæ fœminæ Elisabelæ Augustæ pellectus est ad eam prouinciam. Tertia quod in obeundo munere apostolico, non quemuis apostolum, sed inter apostolos præcipuum studuit æmulari, uidelicet magnanimum illum & generosum Paulum: qui non alio nomine magis gloriatur, quàm quod gratis docuerit euangelium, id est, tantum laborum,

laborum, periculorum, afflictionum, ſuopte ſumptu uictu'que ſuſceperit, obierit, exhauſerit. Nouerat uir pius, cui labores illos fœneraret, ſciebat ſuam mercedem in tuto repoſitam, apud iuſtum iudicem, imo' apud benigniſſimum dominum, qui centuplum reddit in hoc ſeculo, & uitam æternam in futuro. Quàm mihi arriſerunt illa tua uerba in epiſtola tua, In aulas proficiſcitur, incipit prædicare non ſe, ſed ordinis ſui inſignia, non hominum commenta, ſed Chriſtum. Hæc legenti quàm multa mihi ueniebant in mentem, quæ frequenter ab eccleſiaſtis audiui, magno cum animi mei tædio. Ea non libet hic commemorare. Thraſonicas glorias, quæſtum olebant omnia. Qui nunc in monarcharum aulas accerſuntur, ne dicam irrumpunt, quum profiteantur mendicitatem, plerique ſtatim ambiunt mitram, deinde galerum Cardinalicium, denique triplicem coronam. At tuus Hieronymus Chriſto uenabatur, non ſibi. Ex aulæ pompis, opibus, delitijs, nihilo plus contraxit uitij, quàm piſces e ſale marino. In medio luxu macerabat corpus ſuum ieiunijs, & in ſeruitutem redigebat, ne forte alijs prædicans ipſe reprobus efficeretur. Inſtabat extremus actus apoſtolicæ fabulæ, in quo ſeipſum egregius artifex ſuperaret. Subminiſtrauit imperator Chriſtus militi ſuo materiam, qua uirtutem ſuam eximiam omnibus declararet. Centurio Cornelius ambijt Petri colloquium, & impetrauit. Hieronymo paratus eſt alter centurio Stephanus, patria Ianuenſis, qui ſitiret euangelium. Pudorem excuſſit aſſiduæ febris uiolentia, mittit legatos. At Hieronymus nihil deterritus morbi peſtilentis contagio, uocatus inuiſit decumbentem, neque id ſemel: docet, conſulit, hortatur, conſolatur, audit arcana pectoris, quid multis? dum illi cibum miniſtrat animæ uitam, ipſe ex ægrotantis halitu hauſit corporis mortem. Hic uero ſiniſter quiſpiam interpres reclamabit, Nihil fecit noui, faciunt idem alij plerique, captauit à moriente prædam. Sed in hoc quoq; Paulum imitatus eſt, qui ſic pecuniam ab Aſiaticis collegit in ſubſidium pauperum, ut non ſolum ipſe nihil inde contingeret, uerum etiam cauerit ne uel ſuſpicio probabilis poſſet in ipſum recidere. Ducatorum plus minus decem milia reliquit Stephanus, ea tradidit in manus Hieronymo, non tanquam executori teſtamenti, ſed ut ea pro ſuo arbitratu in pios uſus expenderet. Eius ſummæ ſi ſibi bonam partem ſeruaſſet uir tam utilis Reipublicæ, quis negaſſet in pios uſus collocatam? Teruntium ſibi non decerpſit, quum alioqui uix ullius rei pernicioſius ſit contagium q̃ pecuniæ. Iam ſi totam contuliſſet ſuo monaſterio, quod ut ex tuis intelligo literis, pietatis opibus locuples eſt, cenſu perquàm tenue, & religionis diſciplina pulchre conſtructum, externis ædificijs ruinoſum, quis non probaſſet hominis erga ſuos συμμύσας charitatem? Obolum ex tanta ſumma non decidit ſuis, fortaſſis obmurmuraturis. Adeo' Paulina quadam generoſitate cauit, ne quam anſam daret hominum ſemper in deterius pronis ſuſpicionibus. Totum depoſitum in pauperes effudit, id'que confeſtim, nec paſſus eſt apud ſe hærere, quod illis erat deſtinatum. Videtur enim inuitus dare, quiſquis contatur. Adeo' uir pure Chriſtianus, magis ſibi metuit à pecunia, q̃ à peſtilentia. Illam excuſſit protinus, hæc hæſit. Siquidem ut ſcribis, à quarto Centurionis obitu die cœpit æſtuare febribus, hæres morbi, qui nummorum eſſe noluit. Non erat illa mors uulgaris, propitij numinis erat fauor, ſtrenuum athletam ſuum mature ad brabeũ euocantis, ne diuturnior in terris mora uel labe uel errore quopiam puriſſimã illius animam contaminaret. Hinc eſt quod ille mortem præſagijt, atq; etiam prædixit: nec hic domini ſui diſſimilis, initio mortem exhorruit, erat hoc humanæ naturę: mox ſpiritus mira fiducia aduerſus mortẽ erectus eſt, & hac in parte Chriſtum referens, cuius illa uox eſt: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, ſed eiuſdem eſt illa: Nolite flere ſuper me. Quid quod & cauſa conuenit & tempus, dum ſeruare ſtudet proximũ, impendit animã, immortuus eſt euãgelio, ijſdem

diebus quibus pro nobis occisus est Christus: nec ætatis ita magnum fuit discrimen, decessit annos natus quadraginta unũ, nam sunt ex ueteribus qui hac ætate putant obijsse dominum. Triennium uersatus est in euangelico munere, quantum temporis putant & Christum prædicasse. Toto hoc tempore quo per morbum decubuit, nunq; cessauit à prædicandi feruore. Corporis languorem excussit uigor spiritus, monebat, hortabatur, obtestabatur quicunq; aderant, & seruatoris exemplo tantũ non clamans exhalauit animam. Agnoscas uerum ac germanum Christi discipulũ, cui tam multa etiam in rebus externis cum magistro conuenerint, ut de cæteris animi dotibus non liceat ambigere: Agnoscas & Pauli discipulum, qui in suo corpore suppleuit quę deerant passionibus Christi. Cęterũ ut interim Momum agam, & aliquid reprehendam in Veneris Sandalio, demiror eam solicitudinem, mea sententia superuacaneã, qua famulos admonuit, ne qua mulier corpus exanime contingeret. Etenim si sibi metuebat, planè fuit ἀδελφὴ θεός: si mulieribus, plurimũ fragilitatis tribuit illi sexui. Absit autem ut existimemus illum fuisse μισογυνῆ, quũ dominus peccatricis fœminæ contactũ non horruerit. Dices immodicũ quoddam pudicitiæ studium fuisse, ita'q; lubens interpretor. Istiusmodi fratrem quũ habueris Veruesi charissime, postulas à me nouam quampiam & inusitatam consolationem. Quid si te sic consoler, quemadmodũ Galliarum legati Neronem? Oro te mi Veruesi, ut felicitatem tuam fortiter feras. Nam quæ potuit obtingere maior felicitas, q̃ ut de taliger mano iam tuto gloriari possis, non iuxta carnem, sed in domino? Spero futurum, ut illius spiritus in te sit geminus: ita fiet, ut omnes qui nunc mortem illius lugent, minore suo damno Hieronymũ desiderẽt. Sed dum pro uno Hieronymo gratulamur monachorum sodalitati, dolor ingens occupat animũ meum reputanti quãta sit talium monachorũ paucitas, quanta ubiq; turba uentri atq; abdomini seruientiũ. Vtinam dominus dignetur omnes afflare suo spiritu. Pro humanitate quam in Franciscum Dilfum contulisti, fateor me tibi debere plurimum. Vale. Friburgi Brisgoiæ xij. Calend. Septemb. Anno M.D.XXXI.

ERAS. ROT. CAROLO VTENHOVIO GANDAVO S.

ACcepi literas tuas mire querulas atq; etiam iurgatrices Carole charissime, quibus adeo non sum offensus, ut hinc potius perspexerim flagrantissimum tuum in me amorem, ac penè dixerim, immodicũ, eo'q; zelotypum. Scito nihil esse quod mihi tui obliuionem induxerit, aut meum animum abs te alienauerit, multo minus quod iritarit. Sed te non potest latere, quibus semper studiorum undis, quibus penè semper fasciculis epistolarum obruar. His accesserunt curæ domesticæ, à quibus quo magis abhorret genius meus, hoc eas fero molestius. Accrescit labor, & decrescunt uires. Quid quod perq; raro obtingunt, qui hinc petant Flandriam, & in ijs qui obtingunt pauci sunt quibus possit aliquid tuto committi. Hoc multis experimentis didicimus. Neq; non uides, cuiusmodi sit hoc seculum. Itaque quemadmodũ expostulas mecum quod nihil scribam, possem aliquanto iustius tecum expostulare, quod hoc rerum statu quũ nullum sit argumentum, requiras à me literarum officium, quæ nihil habeant, nisi si uales, ualeo. Satis arbitror situ salueas etiamsi non iubeam saluere, & ualeas etiamsi non iubeam ualere. Tantum ad tuam expostulationem, hoc gratiorem, quo est liberior. Risi satis quod scribis de Seraphicis histrionibus, qui me toties occisum lingua, denuo isthic sepelierunt, uidelicet ictum fulmine, simul atq; non sum ueritus in sacrosanctum Franciscí ordinem debacchari. Ego uero nec in aurigarum ordinem unquam sum debacchatus, tantum abest ut Franciscanum ordinem incessiuerim. Quos ego noto, reor ipsi Francisco magis inuisos esse, q̃ sint ulli mortalium. Indignantur opinor, quod

qꝫ in colloqꝭ attigerim Medardū. Quin ipſi magis indignāt, qꝫ magno ordinis dede
core tā impudent publicitus ſcurrā egit, & adhuc agit. Quaſi parꝫ eſſet ſic fuiſſe ſcur-
ratū Auguſtæ: ſcripſit epiſtolā in aulā regis Ferdinādi, quā ipſius digitis depictā ad
me miſerūt regiꝫ pceres. In ea de me inſunt hęc ῥῆba: Expecto libellū a d. u. dñi docto
ris Eraſ. mus cōtra cōtra Mer. dardū. Sed ſatis ſperat, qꝫ ſemp deſperat. Quāto magis
ſobria apud Horatiū loquunt Nomētanus et Balatro qꝫ hic Seraphicꝰ illius modeſtiſ-
ſimi Frāciſci diſcipulus. Putāt mihi Franciſcū iratū, qꝫ eos notarim, qꝫ cęlū promittūt
ꝭs, qꝭ in ueſte Frācīſcana ſepeliūt. Atq nupꝫ in ſomnis mihi poſt mediā noctē apparuit
btūs Franciſcꝰ, uultu ſereno atqꝫ amico, egitꝫ gratias qꝫ ea traducerē corrigēda, quę
ipſe ſemp fuiſſet deteſtatꝰ, meꝫ int ordinis amicos nūerauit. Nec erat eo cultu, quo
nūc illū depictū oſtentāt: ueſtē habebat non ex lanis diuerſi coloris pmixtā, ſed ex la
na fuſca quē admodū ab ouibꝰ detōdet intincta, ſeu græce mauis ἀβάφῳ, nec habebat
roſtratā cucullā, ſed caperonē tunicæ à tergo affixū qꝫ poterat in caput reuocari, ſi for
te pluuia uehemētior fuiſſet oborta, qđ hodie q̄qꝫ uidemꝰ in cultu q̄rundā Hyberno
rū. Nec funis habebat nodos arte factos, ſed enodis ac ſimplicit ruſticanꝰ erat funis.
nec tunica defluebat uſqꝫ ad terrā, ſed palmo, aut eo āpliꝰ ſupra talos erat. Nec calceos
habebat feneſtratos, ſed planē nudis erat pedibꝰ. Quinqꝫ ueſtigioꝝ quę pingūt, nul
lum omnino uidi ueſtigiū. Abiēs dixit, dextra porrecta, milita ſtrenue, breui meoꝝ
eris. Quanq̄ de cultu nō arbitror laborandū, ſi modo patriarchā ſuū ꝭs uirtutibus re
ferant, in quibus ille ſitam exiſtimauit eius ordinis perfectionē. Illi ſex alas ſeraphi-
cas appellant. Primū eſt omnimoda obedientia, ſecundū paupertas euangelica, ter-
tium caſtitas imaculata, quartū humilitas profundiſſima, quintū ſimplicitas pacifi-
ca, ſextū charitas Seraphica. Hæc utinā oēs in pectore circūferant, quemadmodū
circūferunt in ſinu. Tum illos haud ſecus atqꝫ angelos pacis, nō mulierculæ tantum,
ſed cordatiſſimi quiqꝫ cōplecterentur. Nunc cꝫ rari ſunt qui pure doceāt euangeli-
cam philoſophiā, quāta porro turba per aulas principū, per diuitū domos oberran-
tiū, qui nec docent, & ꝭs ſunt moribus ut ędes in quibus uerſantur nihilo ſint purio-
res. Intelligit hic prudens lector quid hic ſileam, & quid ſilendo magis loquar. Vti-
nam nihil cōmittant ipſi quod ſilentio tegendum ſit. Oſtentant chirographū fratris
Leopoldi fratris Bernardini, quos nemo natos nouit. Hoc abunde ſatis eſſe putant,
ut pro bonis uiris habeantur. Atqꝫ in longinqua profectione flagitant pecuniā, quā
linteolo tamen excipiunt, non contingunt nuda cute. Quis hoc cordatus abſqꝫ riſu
uidere poſſit? Iam & illud à nōnullis repertū eſt, perſuadent diuitibus imperitis ani-
mam agentibus, non tantū ut ſepeliantur in ueſte Franciſcana, dataq̄ mercede ue-
niant in conſortium omniū ab ordine bene geſtorū, uerumetiā ut teſtamento ius fa
ciant omnibus & ſingulis qui de grege ſunt obſeruantiū ad illorū ædes diuertendi,
uocatis & inuocatis ut ſit locus. Ac primū hic hæredi ſua libertas quā ſuę cuiqꝫ domi
ſaluā eſſe par eſt, eripitur, præter naturæ ius ac ciuile, An non grauis eſt ſeruitus, ho
minē cui ſunt liberi, adoleſcētes ac puellæ, uxor ætatis integræ, pediſſequarū chorus
obſtrictū eſſe, uti uelit nolit ſubinde recipiat in ædes ſuas homines ignotos, Hiſpa-
nos, Italos, Gallos, Anglos, Scotos, Hibernos, Germanos & Indos, etiā ſi in eadem
ciuitate habeāt Seraphici ſodalitꝭ monaſteriū. An nō uidemus quāta cautione cu-
rent ipſi ne quis è uicinia qualiſcūqꝫ proſpectus ſit in ipſorū monaſteria. Quas hinc
querimonias, quas tragœdias moueāt? Ethnicus ille fabro talenti mercede pollicēti
ſe effecturū ne ullus in ipſius ædes è uicinia, pſpectus eſſet, decē talēta obtulit, ſi quà
poſſet efficere, ut qcqd in ædibus ſuis ageret, oīmibus uicinis eſſet conſpicuū. Dicent
homines ſumus, agnoſco, nec illis obꝭcio qđ ſeraphici gaudēt appellari. At qd opi-
nant illos χαμαιπετείς pati, qꝫ quotidie nouos hoſpites ignotos & inexploratos co-
gunt in intimas ędes recipere, qui ſi quid illic audiant uideantue, ueluti cereales per
orbem diſſeminent? Saltem ex ſuo ipſorum ſenſu oportuit uiros prudentes aliorum

affectus

affectus existimare. Iam facile diuinant in tanta turba nõ omnes esse puris moribus, quum frequenter in diuersam regionem relegentur ob id quod alibi parũ uerecunde sese gesserint. Atq; ut maxime sunt pij omnes, sint sobrij, sint casti, homines tamẽ sunt, eandem carnem circũferentes quã alij. Proinde nõ miror esse qui hac uia uentri suo prospiciendum putarint, illud demiror satrapas ordinis perpeti, ut fratres & alijs molesti sint, & ipsi tanto periculo exponãtur. Non enim hic referã fabulas quas uulgo narrarant ij, qui tales hospites in domesticam admittunt familiaritatem. Dicent cogit necessitas. At ea multis rationibus uel tolli uel temperari poterat. Primũ quid opus tot examina sursum deorsum per orbem uagari? Non omnes agunt negocium Euangelicum, ac uereor ne pauci. Dein magis conueniebat ut ad sui gregis fratres aut sorores diuerterent. Sed nolunt grauare suos, at id grauamẽ facile poterat eorum liberalitate pensari, in quorum ędes nunc irruunt, ut excipientium graui molestia, ita suo ipsorum non leui periculo. Non hic requiram seraphicam illam charitatem in his qui suæ professionis hominibus negant hospitium, præsertim quũ tales minimo contenti sint, nimirum apostolorum æmuli. Quantuli sumptus est charissimis fratribus cibarij panis fragmẽtum, ac paululum leguminũ, cum calice aquæ frigidæ impartiri? Verum utcunq; hęc habent, certe mendicitatem professis conueniebat rogare hospitium, & ab hoc negatum, ab altero petere. Cæterum ad uolentẽ nolentem irrumpere, non est hospitem agere, sed ædium dominum. Noui ante annos penè xl. fratrem Theodoricum Monasteriensem: Is nusq; ibat, nisi concionaturus, nec usquã cępit cibum corporis nisi ubi seminabat animi cibum. Interdum inuitabatur in ædes diuitum, sed in ijsdem morabatur decem aut octo dies, si qua magna spes fructus affulsisset. Alio' uocatus excusabat, adeo' ut quũ Bergas adisset, aliquot dies ibi concionaturus, & in ædibus Ioannis à Mera primarij ciuis locum haberet, eius ciuitatis princeps admonitus de hominis singulari sanctimonia, uocauit ad prãdium. Ille ingenue respondit si sibi permitteretur apud se uiuere, concionaturũ illic octo dies, sin minus, continuo abiturum. Quàm uero non grauis hospes erat uir ille pius. In extremis ædibus iuxta posticum elegerat sibi sellulam, nec aliud ab opulento uiro sibi dari passus est, q; panem cibariũ ac ceruisiam frigidam. Ignem recusabat. Illic cum suo socio legebat, orabat, contemplabatur. Nusq; prodibat nisi ad templũ, id'q; per posticũ, nec unq; in primoribus ædibus uisus est, ubi uersabatur uxor cum liberis ac famulabus. Talibus uiris quando deesse possit hospitiũ? Aut quis est tam tenui re, ut tali grauetur hospite? Queruntur uulgo refrixisse charitatem. Fortassis in causa est, quod in ipsis refrixit pietas. Accusent mundũ si minus pręstat ipsis quod debetur, modo ipsi præstent mundo quod debent. Nunc mirum non est, si mundus mundum negligit. Si seminarint sua spiritualia, ęquum est, ut metant aliorũ carnalia. Quod si inciderint in tam inhumanos, ut suo functis officio uictum quãuis simplicem negant, superest exemplum Pauli inter apostolos maxime seraphici. Si quis hæc illos admoneat, fortassis pro inimico duceretur, quũ maxime sit in rem ordinis. Sed de his iam nimis multa. Quod uenaris uxorem mi Carole, laudo: melius enim est nubere q; uri: sed etiam atq; etiã uide ut non oculis tantũ, sed & auribus uxorem ducas, multa'q; circumspectione facias, quod semel factũ rescindi nõ potest. I nunc & obiurga me, quod nihil accipias literarũ. Habes ni fallor epistolã uerbosiorem q; uelles. Nuper relegens epistolas meas titulo floridas, re marcidas, unam atq; alterã repperi ad te. Vnde suspicor isthuc non omnes perferri quas damus. Edingo cognato & Ammonio singulari pietati uiro, salutem plurimam. Ornatissimo Guilhelmo à Vale me diligenter cõmendabis. Referrem hic q; illius nepos Carolus Sucquetus Taurini rem magnifice gesserit, nisi facile suspicarer ipsum omnia perscripsisse. Bene uale. Datum Friburgi Brisgoiæ nono die Augusti M.D.XXXII.

ERASMVS ROTERODAMVS CLARISSIMO VIRO D. BALIVO LVTETIAE REGIO S.

IAcobus Omphalius, uir clariſſime, ſuis ad me literis multa prædicauit, quum de præclaris naturæ tuæ dotibus ac morum ornamentis, tum de peculiari quodam ac propenſo ſtudio erga nomen Eraſmi, adeo' ut quibuſdam iſthic hoc molientibus ne meę lucubrationes apud uos publicitus diſtraherentur, malicioſis conatibus tua obſtiterit æquitas. Hęc quo magis eſſe uera & credo & gaudeo, hoc magis admiror quo fuco libellum, undiq; ſcurrilibus conuicijs, impudentiſſimis mendacijs ſcatentẽ, ubiq; ſimpliciter furioſum tuo obtruſerint nomini, id'q; exemplo nõ minus dedecoroſo iſti longe celeberrimæ Academiæ, q; pernicioſo ſtudioſæ iuuentuti. Qũum nulla iſthic eſſet ædita cõſtitutio peculiariter minitans iſtiuſmodi temeritati, nullus unq; extitit qui facinus auderet tã illiberale, pudor humanus pro lege deterruit omnes à plus q; ſcurrili petulantia: Nũc ipſa conſtitutio talia monſtra gignit etiã. Et tam illiberale facinus autores habet ut fertur Theologos quoſdam, præſertim illum φιλοβόρυβον, in quem uaticinatus uidet Prudentius, quũ ait: O' tortuoſe ſerpens, qui mille per Meandros fraudes'q; flexuoſas agitas quieta corda. Atq; etiã minitatur Senatus indignationem, niſi ſubſeruiatur ipſius maliciæ. Aut prorſus ignoro ſenatum, aut uehementer indignaturũ arbitror ſi reſciſcat, turpiſſimũ pariter ac peſtilentiſſimum exemplũ. Idem ſentio de rege Chriſtianiſſimo. Nam de animo ſummi Pontificis compertum & exploratum habeo, cuius prudentia perſpicit, quanta ſit & religionis & ſtudiorum peſtis iſtiuſmodi libellis debacchari. Quid autẽ facilius, q; ficto titulo quidlibet in quemuis ſcribere? Sed abſit, ut alienam inſaniam imitando ipſe fiam inſanus. Hic prodigioſus fœtus Venetiæ conceptus eſt, & parentem habet Italum: ſed quem illic non auſi ſunt ædere, Lutetię inuenit qui produceret, Theologis autoribus, ac tui nominis addito lenocinio. Mihi facillimum erat à Cæſare ac rege Ferdinando impetrare literas expoſtulatorias, atq; etiã à Clemente pontifice, ſed mihi uiſum eſt indignũ principes optimos, maximiſq; negocijs ac parũ lætis occupatiſſimos, huiuſmodi querimonijs interpellare. Vix adducor ut credam Natalẽ Bedam hoc facinus approbare, & tamen perſcribũt illũ non ſolum approbare, uerumetiã ſingulis nonnihil addere ueneni. Quæ ſi uera ſunt, & eo ueſaniæ ꝓfecit, haud multũ abeſt à dæmoniaco. Egregius uero ludus ſit, ſi coner par pari referre, quod mihi ſanè bonum atq; cõmodum foret. Habeo typographos ad omne paratos obſequium, & poſſem furioſum iſtum libelli parentem nihil mentiens ſuis ac ueris coloribus depingere. Sed malo ſpectare, quid me q; quid illo ſit dignũ. Verum ſit iam querelarũ modus. Tibi uir clariſſime, pro tuo in me fauore gratiam habeo maximam, rogo'q; ut iſtum animum pergas obtinere, Quod quidem ultro tu polliceris, ſed ſub conditione, ſi nihil ſcribam aduerſus fidem Chriſtianam, aut contra regem chriſtianiſſimũ. De fide non dubito quin audias interdum nonnullorum querelas, ſed quas integri iam toties deprehendunt eſſe meras calũnias, ſimul ut rem propius inſpexerunt. Quàm hic aduerſus ſectas ſtrenuũ agerẽ agam'q; militẽ, ab alijs referri malo. De rege miror quur admonendũ putaris. Nã qui obſecro mihi ueniret in mentem, ſtringere calamum in regem huius ætui florentiſſimum atq; etiam laudatiſſimũ, cui tantum me debere profiteor, quantũ illius detulit benignitas. Detulit autem non ſemel conditiones ampliſſimas. Laudaui illum æditis libris adhuc Cæſaris hoſtem, quid accidiſſet mihi ſi nunc uituperarem, amicum, affinem, ac fœderatum? Cætera diſces ex Omphalio, quem apud me tuę mentis interpretem eſſe uoluiſti. Bene uale. Datum apud Friburgum Briſgoiæ anno à Chriſto nato M. D. XXXII.